EXERCITIUM
Compositionis Spiritualis
SEU
PRAXES MEDITATIONUM
Sub tempus Sacræ Solitudinis;
Ad Usum
Seminarij Academico-Diœcesani,
Resuscitati
Sub Auctoritate atq; Protectione
CELSISSIMI ILLUSTRISSIMI
& REVERENDISSIMI DOMINI,
D. ANDREÆ
STANISLAI KOSTKA
IN ZAŁUSKIE
ZAŁUSKI
COMITIS, EPISCOPI Cracoviensis, DUCIS Severiæ, Equitis Aquilæ Albæ, Universitatis CANCELLARII Faventissimi,
Operâ
M. CASIMIRI FRANCISCI
STĘPLOWSKI
Sacræ Theologiæ Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI ad Cracoviam Canonici, ejusdemq; Seminarii Provisoris ac Præfecti.
DISPOSITÆ.
Cum adjectione Præliminaris doctrinæ ad Meditationes, sive in Solitudine Spirituali, sive extra illã debito modo expediendas, pertinentis.
Annô excitati Seminarii primo; ab Incarnatione Domini Nostri JESU Christi 1750.


lene Liber meritis in Muſas, ibis in Orbe
Et referes AGNI PRINCIPIS Acta Tui

Ad Principem

CELSISSIMUM ILLUSTRISSIMUM
&
REVERENDISSIMUM DOMINUM

Epistola Dedicatoria

NOn est novum scriptionis meæ genus; jam aliàs à pluribus Ascetis practicatum; novi tamen laboris, licèt si tenuis ingenii partus est: cui quòd favebis **Princeps Celsissime**, **Tua** in literas & Literatos clementia, tumq́ humanissima propensio in illa, quæ Clero Diœcesano decorem, Ecclesiæ splendorem augent, sine ulla hæsitatione, ani-

mo meo persuasit. Hæc nempe inter præclaras virtutes Tuas potissimùm se in sublime attollit, ac inter reliquas quibûs emines eximiè relucet præstantia, quæ Te non uni Patrio Regno, sed omnibus exteris Gentibus maximè commendatū reddit, quòd sis erga Musas studiosior, erga boni pùblici commoda Profusissimus Princeps. *Circumfert uberrima per Orbem fama excelsos conatus Tuos, & summam in ea omnia, quæ Christianæ Reipublicæ prosunt benevolentiam: quomodo jucundissima hæc est cordis Tui occupatio, quomodo in hoc omnes Tuæ quotidie*

volvun-

volvuntur curæ, ut Ecclesiæ & Patriæ fastos, sanctis sapientissimis & immortalibus impleas factis: quomodo tandem non aliud vastissimo revolvis animô, nisi quod Regum & Regni utilitatem, Tuæ Diœcesis decorem, eruditorum emolumenta redoleat. Hanc ab Avis Atavisq; longa serie deducendis, (quorum gloriosa memoria in magnitudine gestorum & cordibus literatorum perennat,) hæreditaria possessione accepisti Magnificentiam, ut omnia summa, elevatissima cogitatione comprehenderes, nihil non immortale gereres. In Te Uno *hoc totum*

præ-

præsentia complectuntur sæcula, *quod multæ olim desideraverunt Ætates, quod semper spondebat* Załusciani Nominis *Privilegium, quod* Magnorum Prædecessorum *pollicebantur merita, quod deniq; præclara virtus & ingens* Animus Tuus *perpetuò ominabatur. Quis* Te Princeps *vidit, & propenso cultu Majestatem, amore comitatem non prosequitur? quis auscultatus est oracula ab ore fundentem & doctior non evasit? quis ad* Venerandum *accessit* Præsulem *& non invenit quod miraretur, quod imitaretur? nemo*

sane

sanè. Imples hoc totum, quod est boni Principis, quod est sapientissimi in Regno Senatoris, quod est Optimi in Ecclesia Antistitis; genuina Regiarum virtutum, Præsulearum dotum idea & exemplar. Longam de Te posthuma sæcula narrabunt historiã quantum in Reges, quantum in Patriam & Ecclesiam merueris. In intimis Regum penetralibus exarata legentur, in perennibus Reipublicæ monumentis revolventur gloriosissima gesta Tua, quomodo nullis laboribus peperceris, ut felicitatem eorum prosperares. Intuitus erat Serenissimus *olim*

AU-

AUGUSTUS II Rex *summam Animi Tui moderationem, fidem & integritatem, Ejus Monarchæ, pleno adhæseras Cordi: & ideo magnæ illa dexteritati Tuæ commiserat negotia, quæ nonnisi à* Maximis & *Sapientissimis Viris peragi solemne est, & ea prosperè peregisti. Æstimabat* Accuratissimus Monarcha *vastissimorum Ponderator ingeniorum, singularem, quâ cuncta moderaris* Animi Tui *prudentiam, summam ad publica belli pacisq; negotia peragenda habilitatem: & propterea Annô Christi* 1727 *Poloniam cum Suecis pacifican-*

fican.

ficandam delegavit, & feliciter pacificâsti. Tuæ erga Majestatem suam probatissimæ concrediderat fidelitati avulsorum ex Oeconomiis Mensæ Regiæ cognitionem in Commissione Brestensi Lithuaniæ Annô Dñi 1733; in qua Peritissimus Præses Regia vindicâsti Bona. Publicas Regni Curas Tibi detulerat cum Sigillo Vice-Cancellarii, jamq; Te in pectore Cancellarium signaverat, atq; ad sparsum de morte Primatis Regni nuntium, vivæ vocis oraculô Metropolitanæ Sedis Successorẽ proclamaverat: & effecisset ni præveniens fatum Regia vota distu-

a lerit

lerit. His aliisq; publicis muneribûs Rex Tantus Te prosecutus est, pluraq; & his longè majora maturo consiliô cogitavit; verùm cogitata & promissa Paterna Filius AUGUSTUS III. Patre Magno non minor Proles in parte implevit. Rebefactorum Tuorum rationem Augusto Judiciô expendens, Cancellarium Regni constituit, post Plocensem, Luceoriensem, Culmensem Episcopatus, ad Cracoviensem promovit, ternis Te adaptavit Coronis Cujus merita plurimis digna coronari. Dignissimum reperit, ut inter Serenissi-

mum

mum Bavariæ Electo-
rem, Regiamq́; suam Fi-
liam *Matrimonialia Connu-
bia Sacra benedictione & assistentiâ
compleres: sic & Patris & Filii
Regios promeruisti favores. Nō
eget ampliori æstimatione Vir-
tus Tua, dum Te tanti Reges æ-
qualibus gratiis complexi sunt, quo-
rum judicium sanctum & invio-
latum est, ac Supremum de Emi-
nentia Tua suffragium. Quàm al-
tum de sublimitate Virtutis Tuæ
sensum* Magni Reges *publicis
probaverunt gratiis; tam sublimem
de Te Statore conceperunt opini-
onem omnes Status Reipublicæ*

a2 in

in Comitiis olim Generalibus Regni Grodnensibus, A. Christi 1733 congregati; Qui Te cum plausu omnium Ordinum ad conscribendas sancitas Constitutiones Deputatum admoverunt: ubi leges salutares, stabilivisti, & quæ à via recti deflexerant, ad rectitudinem revocâsti, Justitiam Tribunali restituisti, id planè promeritus, ut Legum Dictator novarum, antiquatarum Corrector, æquitatis ac innocentiæ Patronus, alienæ malitiæ justus Judex nominareris & esses. Prodeunt illa in apricum, neq; latitare intra obliviosos angulos possunt, quæ tam excelsis muneribûs, non minora

adje-

adjecisti: implent calamos & paginas Acta Tua, quantum pro Fidei Orthodoxæ integritate, quantùm pro virtutum incremento ubivis locorũ zelas Magne Princeps. *Una, (ùt cætera prætercam argumenta,) celeberrima Thorunensis Commissio Annô Dñi 1724 expedita, in qua Vice-Præsidens, Honorem DEI ab ipsa hæresi conculcatum, imperterrito animô vindicâsti, perenne monumentum consignavit, atq;* ZAŁUSCIANI Honoris *gloriam ad sæculorum memoriam propagavit, in cœlis post multas ætates coronandã reposuit. Vulgabunt futuris Diœceses quibus*

bus

bus præeras Episcopus, marmoribus insculptam rectefactorum gloriam, Plocensis præsertim; in qua, ut soles, Cleri exactiorem disciplinam in suavitate spiritûs constituisti, Seminarium Diœcesanum de novo excitâsti, Orphanotrophium pro educandis puellis erexisti. Hic est ZAŁUSCIANÆ Majestatis Thronus, *hæc immortalitati magnificentissimè excitata Palatia! Quocunq; Præsuleos moves gressus, ubiq; magnitudinis Tuæ vestigia, ubiq; virtutum exempla exhibes amplissima. Quæ in hac quoq; Cracoviensi perennabunt; ubi omnia ad præstantissimum revocas*

ordi-

ordinem, ut distorta non videas; Clero sæculari gloriam & decorē auges, salutiferis dirigens consiliis Ovile Tuum & sanctis Bone Pastor pascens exemplis, non alio magis præmiô ad id adductus, quàm spe non intermorituræ apud DEUM & homines famæ. Omnium meritorum Tuorum cursum atq; progressum absolvere, nimis arduus labor est, ad initia solùm quorumdam idq; per compendium ire concessum. Non ita Te totum Patriæ laboribus donâsti, quin Ecclesiæ relinqueres; non ita Te regimini prudentissimo Diœcesis conservâsti, ut Palla-

dem

dem deſereres; ex æquo Te ſibi partitæ ſunt virtutes & ſcientiæ; & quantum in Te juris habet publicùm bonum, tantùm quoq́ literarum peritia; pro quarum emolumento quid egeris communicatis invicem conſiliis ac facultatibûs cum Illuſtriſſimo Regni Referendario Fratre Tuo optimè germano *Eruditorum Phœnice; legent poſteri* in Załuſciana *Varſavienſi Bibliotheca, quàm ad eruditorum commoda, ad honorem Gentis Polonæ, ſumptuū rationem minimam, laborum prope nullam immenſorum habentes, magnificè fundaviſtis. Non decet,*

cet,

cet, nec expedit Tuos Optime Præſul *erga Univerſitatem favores ſilentiô præterire, quos manifeſta loquitur fama, quorum publicum teſtimonium facta exhibent. Avunculi* Tui ANDREÆ OLSZOWSKI Archieſcopi Gneſnenſis Primatis Regni *piiſsima ſequeris exempla. Muſeum ille Univerſitatis noſtræ librîs & dote auxit:* Tu *exemplô illius Profeſſoribûs & Profeſſionibus novis, Academiam Tuam matura cogitatione augere deſtinâsti, pluresq́ immenſis ferè ſumptibûs ad ornamentum ejusdem, ad commoda Civium Reipu-*

blicæ

blicæ proficuos, ſuſtines & ſtipendia ampla non denegas, in quem ſalutarem Eccleſiæ & Patriæ finem prope Regias diſpoſitiones accomodas, æterna immortalitati ZAŁUSCIANÆ monumenta inſcripturus. Gloriabitur, oblivione fere ſepultum, nunc Tua benevolentiâ & pari munificentiâ noviter excitatum Seminarium Academico-Diœceſanum, à parvis initiis majora incrementa ex Tua Gratia ſumpturum. Grata hærebit in cordibus omnium tam glorioſi operis memoria, quòd materiam porrexeris, non ſolis animos Polonorum politicis ſcientiis

expo-

*expoliendi, sed etiam Spiritualibus, augmentandi condecorandi, atq; Amplissimæ Diœcesi, totiq; Sarmatico Regno idem bonum communicandi. Dum sic arctissimo Beneficentiæ Tuæ vinculô Musas Gratiis & pietati adunasti: verè ex tantis in Ecclesiam, in utramq; Rempublicã, Civium nempe Regni & Literatorum, meritis Prin*ceps Incomparabilis! *quo insolubili nodô devinctas Tibi non tamen reluctantes scientias, obligatos Polonorum animos, illæsa libertate attraxisti. Vide igitur* Præsul Sapientissime, *quàm suo bono feliciter, tenuitatis equi-*

dem

dem suæ conscius, Spiritualis tamen Libellus meus, Tuæ Protectionis & Sapientiæ invocat opē, sub qua confidit fortunæ suæ, quòd à Te Optimo Præsule *bene commendabitur, à* Sapientissimo Principis ingenio *acceptationem promerebitur: cùm universi noverimus eam* Animi Tui *vastitatem, ut non solùm maximè recondita penetrare eligas, non solùm omni scientiarum genere excellas, non sola Civilis politiei claritudine exorneris, non sola morum, Gentium, legum, Urbium, linguarum notitiâ resplendeas; verùm etiam Spiritualis vi-*

lis vi-

lis vitæ gloriâ, æquè ac Sapientiâ emineas. Patere igitur tutissimum opusculum cum Auctore suo in Tuam recipi gratitudinem. Hac Tua erga nostram & Tuam Universitatem clementiâ fretus, ausim confidere, ascetico opusculo non difficilem ad Tuã Curiam ingressum, atq; certissimum à prima auctoritate patrocinium, quod ex propensissimo nostrûm in Te Princeps Sapientissime ac Religiosissime *provenit studio. Academici Seminarii protectioni, Scientiarum splendori, Ecclesiæ & Patriæ præsidio servet Te DEUS* T. O. *M. Sospitem*

ſpitem proſperum & incolumem diu ac utinam literis & Academæ noſtræ immortalem. In hoc unum omnium & ſingulorum Univerſitis Tuæ *Virorum conſpirârunt vota, quæ ego in hanc tenuem transfero pagellam.*

SUÆ ILLUSTRISSIMÆ
CELSITUDINIS

Profundiſſimus Cultor

Operis Auctor.

Librum cui Titulus EXERCITIUM Compositionis Spiritualis Authore Illustri Clarissimo & Adm Reverendo *M. CASIMIRO STĘPLOWSKI* S. Theologiæ Professore Collega Majore Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonico pro commodo Seminarii Academico-Diœcesani laboriosè collectum & conscriptum legi, ejusq; contentas Praxes attentiùs consideravi, nihil in illo Fidei aut bonis moribus dissonum reperiri, imò Exercitiis Spiritualibus utilem ac in Spiritu proficere volentibus pernecessarium censui, utq; in lucem publicam & in Communem usum prodiret concessi Typisq; mandari permisi. Cracoviæ in Collegio Majori Die 15. Mensis Maji Annô Dñi 1750.

M. CASIMIRUS PAŁASZOWSKI
S. Th: DOCTOR & PROFESSOR Collega Major CANONICUS Cathedralis Cracov: Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinarius CENSOR, protunc Studii Generalis Universitatis RECTOR. *mpp.*

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

DOCTRINA PRÆLIMINARIS De Meditatione & Solitudine Spirituali.

QUÆSITUM I.

Quid est Meditatio?

℟. EST pia rerum Divinarum, aut earum, quæ ad Gloriam DEI ordinantur, sive ad salutem animæ consequendam pertinent, viva consideratio. Hanc alii vocant Orationem mentalem.

NOTA I. Ad complementum hujus Definitionis; seu potiùs ad majorem expressionem naturæ Meditationis, pertinere considerationem eorũ, quæ quôcunq; modô ordinabilia sunt ad laudem DEI, ad virtutes Christi,

Sanctorum, eorumq; exempla sectanda, ad bonum amplectendum, & malum fugiendum.

NOTA II. Istam Meditationem principaliùs consistere in voluntatis pia affectione, minùs principaliter in actione Intellectûs: nam operatione Intellectûs duntaxat cognoscimus absolutè & simpliciter illa, quæ veniunt consideranda; jam verò voluntatis beneficiô, ad amorem DEI super omnia (quô quid beatiùs cogitari potest?) excitamur.

NOTA III. Non esse hoc novum orandi genus, cujus exemplum reliquit nobis Salvator mundi, atq; imitandum proposuit; Qui cum Discipulis suis, vivens inter homines noctes in deserto, aut in montibus duxit insomnes, sicut legitur de hoc *Luc:* 11 ℣. 1. ubi quidam Discipulorum dixit ad JESUM: *Domine doce nos orare*:

aut

aut etiam ſeparans ſe ab Apoſtolis & à turbis, & quidem frequentiùs, ſolus orabat. Sicut *Luc:* 6. ℣. 12. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in Oratione DEI.* Et *Math.* 14. ℣. 13. ubi audita morte, decollati apud Herodē Joannis Baptiſtæ, *ſeceſſit inde in locum deſertum ſeorſum.* Talem orandi modum per meditationem commendare cenſetur Dominus *Math:* 6. ℣. 7. *Orantes autem nolite multùm loqui, ſicut Ethnici: putant enim quòd in multiloquio exaudiantur.* Matrem quoq; Dei, B. Virginē MARIAM ab ejusmodi precandi formula commendat *S. Lucas Cap:* 2. ℣. 19. quòd Doctrinam Chriſti, verba & Myſteria, quæ facta ſunt circa Nativitatem Verbi in Carne humana apparentis, *conſervabat & conferebat in corde ſuo.* Suum Ducem Chriſtum, in hoc exercitationis Spiritualis genere, imitati erant, S. Joan-

nes Baptiſta, qui trimulus abiens in deſertum, ibidem nec vinum, nec ſiceram bibens ad perfectam manſit ætatem; ibidem prædicavit Baptiſmũ Pœnitentiæ; ibidem factum eſt ſuper Eum, Verbum Domini, ſicut legimus *Math.* 3. *Marci* 1. *Luc*: 3. Sancti quoq; Apoſtoli, quos ſæpenumerò Magiſter JESUS, à turbis populorũ ſeparatos, ducebat ſeorſum, ut orarent; ſicut de Petro, Jacobo & Joanne teſtatur *Lucas Cap*: 4. ℣. 1. De omnibus autem Diſcipulis id annotavit Sacer textus *Joan*: 18. ℣. 1. quòd frequenter convenerat Dominus in hortum cum Diſcipulis, quos relinquens, Ipſe ſe ab illis ſeparabat, relictô mandatô, ut orarent. Innumeri deniq; ejusmodi exercitiîs commendati ſunt Anachoretæ; Baſilius Magnus, Hieronymus, Auguſtinus & omnes, quotquot inſigni ſanctitate, inſigni eruditione, in Eccleſia DEI eminuerunt, refulſerunt.

QUÆSITUM II.

Quot sunt Partes Meditationis?

℞. SUnt Tres: Præparatio, Consideratio & Conclusio.

Præparatio est in hoc sita, quòd meditaturus, sistit se coram DEO, quem sibi ante oculos mentis præsentem proponit, atq; coram Eo in summa cordis humilitate prosternitur, postulat benè meditandi gratiam, & rem meditandam in memoriam revocat. De tali Præparatione Ecclesiasticus hîs verbîs *Cap.* 18. ℣. 23. loquitur: *Ante Meditationem præpara animam tuam, & noli esse quási homo, qui tentat DEUM.* Qui enim sine tali præparatione accederet ad meditandum, implicitè vellet, ut ipsi feliciter succederet Meditatio, sine suo labore & cooperatione, quod

est

est vera tentatio DEI: Qui absolutè quidem, id homini præstare potest, ordinariè tamen sine illius applicatione non solet.

Consideratio, quæ dicitur Corpus Meditationis, est operatio Intellectûs, quâ homo mentaliter discurrit per omnia, quæ continentur in punctis Meditationis & singula expendit sedulò, circumstantias præsertim illius materiæ examinat. Debet autem fieri Consideratio cum imaginatione, quâ repræsentantur locus, personæ, earumq; actiones, in Mysterio Meditationis expressæ, singula verba facti alicujus, vel Sententiæ ex Scriptura, vel Patribus depromptæ. Unde etiã Con deratio potest vocari repræsentatio. Ad impetrandum autem donum debitæ Considerationis, invocandum est auxilium Divinum cum Davide *Psal.* 118. ℣. 18. dicente: *Revela*

oculos

oculos meos (ideſt intellectum meum caligine ignorantiæ involutum illumina) *& conſiderabo mirabilia de lege tua.* (ideſt cognoſcam claritatem mandatorum DEI, quæ conveniunt ſaluti animæ meæ) Peracta autem hôc modô Conſideratio terminatur per elicientiam Propoſitorum, quæ alii vocant Reſolutiones.

Concluſio, tertia pars Meditationis, in qua poſt ex enſa ſedulò pūcta Meditationis, poſt elicitos affectus & poſt facta Propoſita, colloquium cum DEO facimus, aliquam ſpecialem gratiam ab Eo petendo: vel maximè autem petendum eſt majus quotidie lumen, DEI perfectionem & ſui miſeriam, ac nihileitatem cognoſcendi. Deniq; ſummopere rogandus eſt DEUS, ut donet auxilia, exequendi, jam elicita Propoſita, pro ſua majore Gloria, & pro adeptione

majoris

majoris perfectionis Spiritualis, dicendo cum Regio Propheta *Psal.* 39. ℣. 14. *Domine ad adjuvandum me respice. Confundantur & revereantur, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.*

Nota 1. In præparatione duo spectabis *1mò.* Præparationem remotam, quæ consistit in prælectione materiæ, futuræ meditationis pridie facienda vespere ante somnum. Tum, ut illa materia heri perlecta imminenti die in mentem revocetur, postquam è somno evigilaveris. Deniq; ut omnia studia, occupationes & quæcunquè temporalia negotia tantisper removeas, & à corde excludas, ut ita soli DEO vacare possis. *2dò.* Præparationem proximam, ad quam pertinet, ut ante hoc Sanctum negotium, aquâ benedictâ aspersus, & salutari signo Crucis munitus, firmiter tibi persuadeas,

deas, quòd in Conspectu Dei consistis, cum Eoq; colloqueris, dicens illud 3. *Reg.* 17 ℣. 1. *Vivit Dominus in cujus Conspectu sto*; addesquè ex sensu *Psal.* 141. *Effundo Orationem meam in conspectu Tuo.* Tandem genu flexus DEVM tuum adora, prorumpens in admirationem vilitatis tuæ, eamq; sincerè confitens verbis illis Abraham Patriarchæ usus *Gen:* 18. ℣. 27. *Loquar ad Dominum, cùm sim pulvis & cinis?* Et hìc statim precare gratiã Ejus, referendi omnes actus humiliationis tuæ, tunsiones pectoris, genuflexionem, suspiria cordis, cæterasq; actiones ad gloriam Dei solius. Plurimùm quoq; juvabit intercessionem B. Virginis MARIÆ, S. Angeli Custodis, Sanctorum Patronorum implorare. Deniq; Meditationis puncta si fortè memoriâ exciderunt prælegere.

Nota 2dò Ad considerationem, quæ est secunda pars Meditationis, ac velut ejus supplementum, requiri Affectus & Proposita. *Per affectus* homo meditans totus ad DEVM incalescit, afficiturq; erga bonitatem Illius, vel amore super omnia; vel gratiarum actione, pro beneficiis acceptis; vel admiratione Supremæ Majestatis, infinitæ bonitatis, ac misericordiæ Divinæ; vel affectu compassionis erga JESVM Crucifixum; vel actu perfectæ contritionis, odii, ac detestationis peccati, vitiosorumq; habituum; vel contemptu temporalium, desideriô autem æternorum; vel petitione alicujus gratiæ Spiritualis, virtutis, æternæ Beatitudinis, vel gaudii de aliquo Spirituali dono, aut his similibûs juxta materiæ ad meditandum propositæ, & traditæ necessitatem, utilitatem, ac convenientiam. De-

niq;

niq; imploratione modi dignè orandi, meditandi, tanquam Discipulus inutilis ab Increato Magistro verbîs illis, aut aliis, quæ Spiritus S. inflabit dicendo: *Domine doce me orare, adjuva incredulitatem, imbecillitatem meam. ostende lumen Vultus Tui super me Domine.* Tales autem, aut his similes affectus alii Ascetæ vocant colloquium.

Ejusmodi Affectus, sequuntur Proposita, seu Resolutiones, tanquam eorum genuina proles: aliàs ipsis omissîs sterilis reddetur, & nihil est profutura Meditatio. Sunt autem Proposita, quædam resolutiones ex occasione præmissorum Affectuum promanantes, ab ipsis, velut à principio suo dependentes, illisq; posteriores. Per hæc autem Proposita, meditans firmiter apud se in corde statuit exercitium alicujus virtutis: aut se resolvit, confisus Divino auxilio

vitare

vitare certam peccandi occasionem suæ saluti periculosam, aut malam conversationem deserendi; vel hoc, aut illud impedimentum, se à majori perfectione Christiana retrahens, amovendi; vel passionis, iræ, gulæ, multiloquii, otiositatis sive his similes, ad quas quisquam se sentit magìs proclivem, frenandi; vel subveniendi inopi, visitando infirmum, pauperem ditando; vel sese humiliandi, cum miseræ conditionis hominibus affabiliter conversando, hospitale pauperum visitando, de suis benefactis, nec ab aliis gloriam appetendo, nec se ipsum jactando, imò dotes & talenta extenuando &c. &c. Ejusmodi autem Proposita nè memoriâ, quæ labilis est, excidant; bonum censeo, ut in seorsivo ad id confecto libello annotentur, ut noveris in examine conscientiæ ad Confessiones faciendas,

quæ DEO promiſſa non reddidiſti, pro quibus doleas. Id ipſum ſuo exemplô ſuadet faciendum D. *Auguſt:* *in Pſal.* 31. inquiens: *Ego in lege Domini meditor, ſi non die ac nocte, ſaltem quibus poſſum & Meditationes meas, ne pereant, ſtylo alligo.* Imitare ergo tantùm, & tam Sanctũ Doctorem.

QUÆSITUM III.

Quâ intentione procedendum eſt in ſolitudine Spirituali & in Meditatione?

S*uppono ante Reſponſionem:* Quia ſolitudo Spiritualis (quam vocabulo communi Recollectiones appellamus) conſiſtit in ſeparatione ab omni converſatione hominum ad aliquod tempus: quâ cupientes perfrui, utiliter, eligunt ſeorſivum pro faciendis exercitiis Spiritualibus cubiculũ,

in quo semotis omnibus negotiîs & studiis soli DEO vacent, & soli hoc toto tempore saluti animæ & majori perfectioni Christianæ acquirendæ incumbant, atq; consulant. Quæ exercitia in eadem solitudine tanquam summè fructuosa animæ omnibus commendanda veniunt, saltem singulis annîs semel expedienda tempore ad id bene sibi viso. Et quoniam ejusmodi exercitia sine Meditationibus non absolvuntur, imò sunt sincerior & principalior pars eorum, ac veluti anima & forma, ideo in præsenti Doctrina, de utroq; tanquam sibi invicem connexo tractamus & de utroq; hic Q. Hoc supposito.

℞. Tam ingressum in solitudinem Spiritualem, quàm Meditationem seu Orationem mentalem in illis peragendam, debere fieri intentione recta, simplici & purissima quisquis ibidē

eloquii

eloquii Divini ſuavitatem plenâ animâ deguſtare exoptat, ne ſine ullo prorſus Spirituali fructu à Meditatione recedere & ex dicta ſolitudine exire ſit coactus. Atq; adeo, aliquis ſiniſter finis hanc Sanctam actionem non depravet: nam ſicut loquitur *S. Laurentius Juſtinianus Cap. 7 de Contemptu mundi: qualis intentionis eſt finis, tale procul dubio ſtipendium retributionis erit: pro temporali temporalis, pro Spirituali Spiritualis, pro Cæleſti retributio Cœleſtis impenditur.* Proinde intentio eſt veluti anima, & forma omnium actionum humanarũ, ideoq; qualis eſt intentio, talis & actio, à qua & bonitatem & malitiam & rectitudinem & obliquitatem accipiunt. Unde ſine recta, intentione & pura, etiam bona, in ſua ſpecie, opera nihil proderunt. Quàpropter talis intentio requiritur in illo Spiri-

tuali

tuali exercitio, quæ hominem dirigat ad aliquem finem bonum honeſtum, & ſaluti animæ utilem: nempe particulariter dicendo, qui vel ad alicujus virtutis, maximè ſuo ſtatui neceſſariæ exercitium conducit, vel ad eradicationem vitioſi habitûs, vel ad electionem ſtatûs, in quo ſalus animæ non periclitetur, de quo in tali ſolitudine conſulatur DEUS: aut ſi jam ſis in certo ſtatu firmiter conſtitutus, ad impetranda auxilia Dei in ejusmodi ſtatu ſanctè & exemplariter perſeverandi, vel deniq; (licetſi plurimi alii ſuperſunt fines) ad præparandam & diſponendam animam, ut à ſe tollat omnes inordinatas affectiones, iisq; ſublatîs ad quærendũ & inveniendum voluntatẽ DEI circa vitæ ſuæ inſtitutum, & animæ æternam ſalutem conſequendam.

QUÆSITUM IV.

Quanta est necessitas Exercitiorum Spiritualium?

℞. Summa & maxima: cùm enim homo vivens inter homines, undiq; gravissimis prematur malis, cujus ferme tota vita magna tempestas dicenda est, cujus *aquæ* lacrymarum *nunc ascendunt usq; ad summum, nunc descendunt usq; ad abyssos*, si loquamur ad mentem scripturæ *Psal.* 105. ℣. 26. quibus anima nostra miserè præfocatur, ac deficit. Hinc enim circumstant timores, illinc premunt luctus; hinc accenduntur discordiarū ignes; inde ambitionis æstus; hinc veniunt iniqua desideria, inde innumerabiles perturbationes. Ipsa Respublica membrorum hominis, ò! quot contrariis oppugnatur studiis! Doctor Gentium sanctitatis Christianæ exemplar, &

tamen de se ipso testatur *Rom:* 7. ℣. 23 *Video in membris meis aliam legem, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* In alio quoq; loco *Gal.* 5. ℣. 17. *Spiritus adversus carnē, caro adversus spiritum concupiscit* (alii legunt: militat) Inquietant passiones animi; perturbant sensus externi & interni, innumera mentes lacerant pericula, & in præceps miseros rapiunt mortales. Mors ascendit per fenestras, languores & infirmitates januis ingrediuntur apertis; innumeræ peccandi occasiones, inimicitiæ, distractiones, hisq; cognati agmine facto hostes in deploratos irruunt homines. Quomodo igitur tantis occurrendum malis? quomodo hæc turbida aqua ad pristinum reducenda nitorem? Unde inter hos discriminum æstus implorandum refrigerium? non

aliunde

aliunde efficaciùs, niſi à ſacra ſolitudine: ad quam ejusmodi feræ non concurrunt, populoſas duntaxat Urbes populantur. Inter Spiritualia Exercitia miniſtrat mens tota DEO, & non fit peccati mancipium, fugit lenocinia mundi, & invenit delicias cœli, ibidem reperit odorem virtutũ ſuaviſsimum, ſaporem gratiæ dulciſsimum, guſtum indulgentiæ optatiſsimum, conſcientiæ ſerenitatem, reconciliationis cum DEO factæ jucunditatem. In Solitudine Spirituali animus Beatis Spiritibus aſſociatur, lachrymæ pœnitentium proſunt lugentibus, ærumnas levant, gaudia multiplicant, ita juſto Judici DEO clementiam ſuadent, ut perſuadeant: nemo enim ad Tribunal Ejus flens gemitu inenarrabili acceſſit, qui non ridens receſſerit, vel non receperit, quod poſtulavit. In Solitudine Spiri-

tuali illud procellosum calamitatum mare variis æstuans fluctibûs, quiescit in tranquillitate, nec mentem concutit, timores evanescunt, mærores in risus resolvuntur, exasperata mitescunt corda, elati spiritus humiliantur, frenantur impetus, passiones rationi obtemperant, lex membrorũ subditur legi mentis. Si mortis angustiæ imminentis perturbant animum, contemnuntur fortiter, diciturq́, cum Apostolo: *Cupio dissolvi & esse cum Christo*; si per unum ostium invehuntur, tentationes, distractiones, peccandi irritamenta, per aliud auxiliante DEO expediuntur. In Solitudine sacra cùm deducuntur ab oculis lachrymæ & palpebræ defluunt aquîs; mare malorum deficiet, cessabit tempestas, amaræ ærumnarum dulcescent aquæ. Brevi ut concludã id ipsũ oratione: ibidem amarè flendo ad vera gau

ra gaudia, ſicut in mundo poſt gaudia & luxus ad miſerandum luctum pervenitur. Nonne hæc eſt maxima neceſsitas, tam ampliſsimum malorum agmen debellare, ex quibus proſper & certiſsimus venit triumphus in Solitudine Spirituali?

QUÆSITUM V.

Quàm ſit utilis Animæ Solitudo Spiritualis?

INnumeræ ſunt utilitates: quas quia ignoramus, non cupimus; quis enim æſtimat, quod ignorat? quis cæcus judicat de colore? Ibi loquitur DEUS ad cor hominis multifariam & multis modîs & docet eum ſcientiam Sanctorum, non ſolùm Juſtos ſolatur; ſed graviſſimorum quoq; criminum reos, ad colloquium admittit Paternum, ſpem roborat lapſam, media

deſerendi obliquas vias proponit, mentem à terrenis ad Cœleſtia elevat, à creaturis ad Creatorem revocat, charitatem Dei & proximi ingerit, ad tolerantiam difficilium animat. Illa eſt firmiſsima perfectionis Chriſtianæ baſis, ſuper qua, fabrica beatæ æternitatis feliciſsimo ſucceſſu conſtituitur, quâ ſublatâ, ſolidam virtutum Civitatem ædificare, eſt moraliter impoſsibile. Solitudinem exercitiorum ſpiritualium (quæ ſunt quidam orandi modus Angelicus) tanti appretiare debemus, quanti DEVM: nam hæc Deô conſtat, Deô compenſatur, Deo ſociatur, ubi liberaliſsimè Cœleſtia dona diffundit, ſui cognitionem ingerit, & humanæ miſeriæ conditionem manifeſtè oſtendit; malis bona, bonis meliora, perfectis perfectiora inſtillat, omnes incredibili facilitate docet, quæ recta

ſunt

sunt; ita, ut longè plura in hac universitate Sanctorum, discipuli discant, quàm, si celeberrimas totius Orbis Academias peragrarent; adeò, ut etiam rudissimi literarum in hac beata schola, Patres Theologorum evaserint. *Sic Bartholomæus Torres Canariensis Episcopus*, tantum se per paucos dies de hac Mystica Theologia hausisse in suis manuscriptis testatur; quantum per triginta annos in Scholastica, quam profitebatur, non profecerat. Ibidem cognosces DEUM, nosces & te ipsum, quod, si sciveris, sufficit.

QUÆSITUM VI.

Quid jucunditatis invenitur in Sacra Solitudine?

℞. LInguâ enuntiari, calamô describi, literîs exprimi, intellectu concipi

concipi, ſatis nequit, quantas DEUS præparavit delicias meditantibus ſuam Majeſtatem in ſacra Solitudine. O ſi carnalis homo percipere vellet illam jucunditatem Solitudinis! illico terram deſpiceret. Meminit iſtius ſuavitatis Regius Vates *Pſal:* 33. ℣. 9. & experiri ſuadet inquiens: *Guſtate & videte, quàm ſuavis ſit Dominus*, quod maximè cognoſcunt ſinceri ſolitudinis amatores, extra quam homo piger neſcit pretium ejus; quia plenis non guſtavit labrîs hujusmodi delicias: quæ eò majus ſui accendunt deſiderium, quò avidiùs & abundãtiùs prægustantur; quemadmodum mundi deliciæ, cùm paulò plus affluunt, nauſeam & faſtidium adferunt. Societatis amans eſt homo, ex ſua natura, omnia quærit & optat conſortia, conſortium Dei in Solitudine ſummam animæ perfectionem refugit:

git: O si gustaret! non fastidiret. Filii hujus mundi, qui mollibûs vestiuntur, qui in domibus Regum habitant, ejusmodi Solitudinem aversantur irreparabili damnô suô, ad quam tamen Filii Dei summo anhelant conatu, hanc jucunditatem concupiscunt, & deficiunt in atria Domini. Horum cum laude meminit *Thomas à Kempis Vall: Liliorum Cap.* 25 dicens: *Beatus qui odit hunc mundum, & quæ in mundo allicere possunt ad peccandum, & fugit cum Elia in desertum, à facie multorum periculorum, quæ sæpe trahunt hominem incustoditũ ad infernum.* Non miror tamen multorum hominum, eorum quoquè, qui sibi sapientes videntur, insipientiam: qui, cùm non gustaverint, ignorant dulcedinem mellis; cùm non probaverint, non approbant; cùm intimè non discuterent, à sapidissimo

convivio retrahuntur. Nam ſicut dicit mellifluus *Bernardus Lib. 6 de Nat. & Dignitate Div. Amor: Cap. 10. Non capit intelligentia, niſi quantum experientia attingit.* Experimini & guſtate: hìc lætitia Spiritûs inenarrabilis, pax exſuperans omnem ſenſum: hìc laſſati in via iniquitatis, optatam inveniunt quietem; innocentes agnelli, velut in hortis aromatum deliciantur, paſcunturq; inter lilia; famelici & ſitientes fontem aquarum viventium, manna colligunt, omne delectamentum in ſe habens, & torrente voluptatis potantur. Quidquid gaudii cogitari, quidquid jucundi inveniri, quidquid tranquilli optari poteſt, in Spirituali latet dulcedine. Guſta & experieris, diceſq; cum anima devota: ampliùs Domine! ampliùs! fluant ejuſmodi deliciæ cœli pleniſsimô alveô: paratum cor meum! O utinam omnes

ſaperent

ſaperent & intelligerent! quanta abſcondit DEUS in Solitudine Spirituali: clamarent forſitan clamore Orientem & Occidentem, Auſtrum & Boream perſonante: dulciora ſunt ſuper mel & favum. Solitudo Spiritualis eſt Civitas Sancta Jeruſalem, viſionem in Terris beatificam continens; ſicut mundanorum ſocietas, inquieta Babilon, inchoata inferni confuſio: hæc eſt terra Promiſsionis optatiſsima, extra quam horrida in Ægypto converſatio: hæc jucundiſsimum, inter homines Cælum, beatificans & ſatians animam ſpiritualibûs deliciîs; extra quam terribilis infernus, in quo ſempiternus horror inhabitat, à quo liberabuntur, qui liberô mentis oculô Cœlum reſpicient.

QUÆSITUM VII.

Quæ ſunt, quæ impedire ſolent,

aut juvare, tam Solitudinem Spiritualem, quàm in ea meditationem.

R. IN duplici classe, tam impedimenta, quàm adjumenta utriusq; reponuntur. Nempe alia externa, alia interna: illa ab extra veniunt; hæc veluti nobiscum manent, ac quôdam modô intra nos hærent, ac utraq; suô modô vel impediunt, vel adjuvant. Impediunt exteriùs nobis tunc sociati, aut nos visitantes in Solitudine Amici, Parentes, Consanguinei, Necessarii quocunq; titulô nominandi, cum quibus inita societas, atq; conversatio, hæc sacra Exercitia interrumpit, effectusq; spirituales eorum suffuratur; quorum remotio sincera, maximô adjumentô erit. Hinc antiquissimus Asceta *Hieronymus Epistolâ ad Nepotianum* unicuiq; suadet dicens: *adhibe tibi in Urbe solitudi-*

tudinem, & remotus ab hominibus, junge te DEO. Adhuc exteriùs impediunt, publicus locus à ſtrepitu, clamorum, vociferationum, negotiationum populorum diſcurrentium, ludorum, non vacuus. Similiter impediunt Theatra, tumultus, Illuſtrium Virorum applauſus, & id genus alia, à quibus, ſi mentem, ſi cor & oculos non ficté retraxeris, ſi locum ſolitarium, in quo unus ipſe abſconditus permanſeris (hic autem, ut ſit obſcurus, præſertim tempore meditationis, proficuum eſt) ſi aures à ſæcularibus narratiunculis, curioſos ſenſus à quibusvis oblectamentis expediveris, ſi omnes occupationes temporaneas plenè reſignaveris; externa poſſediſti adjutoria profuturæ Solitudinis, in eaq; Meditationis. Hinc Æterna monet Sapientia per ſuum Verbum Incarnatum *Matth: 6. ℣. 6. Tu autem*

tum

cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clausô ostiô, ora Patrem Tuum in abscondito. Qui modus in abscondito orandi, & se à tumultu hominum subducendi, sæpissimè in Scripturis sacris commendatur, & exemplîs Salvatoris JESV & Discipulorum Ejus, aliorumq; Sanctorum ad imitandum proponitur. Hîs tamen rejectîs obstaculîs, adhuc validiora manent, quæ devotam animam à Sancto negotio retrahere conabuntur, cujusmodi sunt phantasmata & profanæ cogitationes; digressio mentalis per fora & Curias, per cistas & horrea, per culinas & repositoria; revocatio in mentem conviviorum, chorearum, ludorum, conversationum, amicorum, inimicitiarum & his similiũ, quæ, si ad domũ cordis admisisti, totum perdidisti; si verò ingressuris portas clauseris omnes, si importunos propulsaveris

errores

errores, si hunc colubrum atq; cerastem, sacram viam occupantem, dextro spiritu ejeceris; juvisti spiritualem progressũ, capitalem de ædibus intimis hostem ejecisti; quod faciendum proponit *S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis Cap:* 1. *Prosolog.* inquiens: *Fuge paululum occupationes tuas, absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis, abice nunc onerosas dissensiones tuas, vaca aliquantulum DEO, & requiesce aliquantulum in Eo, intra cubiculum mentis tuæ.*

Non pauci adhuc supersunt hostes, cùm quibus in Solitudine Sacra dimicandum restat, quos, si viceris, triumphabis ovans; victus, duceris in ludibrium coram DEO. Si igitur perversô consiliô non recta & simplici intentione Sacra exercitia susceperis, neq; in tractu devotionis eam

regula.

regulaveris, atq; purificaveris, si apparenti quadam difficultate, quam malus spiritus devotarum animarum tentator, circuiens, ut eas devoret, ingerit imbelli animo, à pio opere absterritus, fastidium in corde concipies, si exercitii sancti observantiam, parum, vel nihil æstimaveris; plus ingeniô & industriæ tuæ, quàm Divinæ Gratiæ tribueris, judicio privato tuo, non Directorum monitis, qui ad id muneris à DEO vocati sunt, obtemperaveris neq; illis, cor tuum in candore & simplicitate Christiana aperueris; deniquè, post felix Exercitiorum auspicium, si post aliquod dies tabesces, remissè operaberis, aut post peracta Exercitia immemor gratiæ Dei & Propositorum ibi editorum, ea non impleveris, nec in animum, sæpiùs illa legendo, revocaveris; totum nihil prodest, labor velut in Ægypto vanus, fructus nullus.

Ac proinde plurimûm juvabit, hoc ſanctum negotium, ut ſit fructuoſum: nempe, ſi DEVM in omnibus actionibus cogites eſſe præſentem, quem crebrò per diem jaculatoriis interpellabis orationibûs, dicendo cum Davide: *Pſal* 16. *Perfice greſſus meos, in ſemitîs tuis, ut non moveantur veſtigia mea.* Juvabit, ſi ſpirituales libellos frequenter, libenter legas non curioſitati tuæ ſatisfacturus, ſed purè emolumentum ſpirituale in ipſis inveſtigaturus. Accipe hujus utilitatis exemplum à *Sancto Gregorio Nazianzeno*, qui de ſe ipſo hoc *Apologiá primâ refert: Ex lectione librorum ſacrorum acquiſivi internam puritatem, & hunc retuli fructum; ut ex libris Paganorum, qui me ſuâ pulchritudine fraudulentâ ad ſe trahebant, expuerem amaritudinem, florem inſolentis corporis mei frequentibus & magnis*

laboribus attrivi, satietatem ventris removi, oculos fœdavi, & in supercilius demersi, iram disrupi, membra ligavi, risus in fletus converti &c. Juvabit, si frequenti peccata tua Confessione expies, cujus emolumenti meminit *Gregorius in hom:* 38. dicens: *Quid est Confessio? nisi quædam vulnerum ruptio, quia peccati virus salubriter aperitur in Confessione, quod pestiferè latebat in mente.* Juvabit, si cum Viris eruditis, devotis tamen ac Spiritualibus familiaritate utaris: Nam dicit *S. Laurentius Iustinianus de Discipl. Monach. Cap.* 4. *Necesse est, ut talis efficiatur homo, quales sunt, cum quibus conversatur.* Ideoq; 1. *Ioan:* 1 ℣. 3. inquit Apostolus: *Societas nostra sit cum Filio Ejus IESV Christo, & hæc scribimus, ut gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum.* Juvat quoq; in omni virtute exer-

ceri, linguam coërcere, mendacia etiam levissima vitare, nam *os, quod mentitur, occidit animam*, sicut ait *Spiritus S. Sap:* 1. ℣. 11. Charitatem erga DEUM & Proximum servare, sine qua nihil prosunt omnia. De quo fusè instruit Doctor Gentium 1 *Cor:* 13.

Præterea non mediocre auxilium adferunt Meditationi, tempus matutinum semel pro semper statuendum (nisi quid obstet) idq; ante omnia inchoata negotia, & ante studia, sicut facere Christus consuevit, relinquens nobis exemplum *Marci* 1. ℣. 35. *Et diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum, ibiq; orabat.* Prodest & situs ad devotionem compositus, nempe genibûs flexis usurpatus; quòdsi longam genuflexionē ferre non possis, pedibûs paulò insistas, ita tamen; ut ad primum genuflexionis redeas situm. Quandoquè

etiam expedit, præsertim, si sentiatur à DEO immissus in corde affectus; ad breve tempus prono corpore in terram procidere, exemplô Christi in horto Gethsemani, cùm esset separatus ab Apostolis, ante suam captivationem orantis, ut legitur *Matth.* 26. ℣. 39. *Et Marci* 14. ℣. 35. Deniq; prudentis & pii Viri relinquitur arbitrio, ille situs corporis in tractu Meditationis eligendus, qui eum magis attentum, atq; devotum reddit.

QUÆSITUM VIII.

Quæ sunt observanda in tractu Meditationis?

℟. Hæc præsertim: *imò*. Si in aliquo Meditationis puncto vehementiorem senseris dulcedinem, non illico animus ad aliud punctum revo-

revocandus erit; sed tamdiu immorandum primo puncto, donec Spirituali gustui satisfactum fuerit. Neq; ideò properandum erit, quòd reliqua imminent consideranda puncta: nam, si elabatur hora meditandi, sequenti meditatione, idem compensari potest revocatîs breviter iis, in quibus senseras dulcedinem. Imò, utile est eandem Meditationem repetere variatis affectibûs & Resolutionibûs. 2dò. Quia Meditationis virtus magìs consistit in exercitatione affectûs (quod est actus voluntatis) quàm in intellectu; ideo Vir prudens talem debet eligere affectum, qui mediocris est, & qui diutiùs continuari potest, & qui pectori neq; capiti nocivus est. Qui affectus facilè exardescet incalescente corde per Divinæ Gratiæ infusionem, si nempe seriò consideraveris Majestatem Personarum SSmæ Trinita-

tis, B.V. MARIÆ, S. Angeli Custodis, tuorumq; Patronorum, non verbîs, sed corde eos alloquendo. *3tiò.* Si ex occasione vehementioris affectûs prorumpant lachrymæ, humiliter, quamdiu DEVS dederit, continua. Intantum tamen ejusmodi affectum continuandum optarem, inquantum valetudinem bonam non afficit. Multum tamen talis affectus utilis est, insurgente gravi tentatione, vel in generali Confessione peccatorum, vel in conatu acquirendi perfectum dolorem de peccatis, vel in aggressu alicujus negotij propter Gloriam DEI, quod est difficultatibûs implicatum. *4tò.* Si contigerit in tractu Meditationis omni solatiô & gustu Spirituali destitui, non esse ideo abrumpendam devotionem; sed te humilia coram DEO, & culpam agnosce, si fortè imparatus ad meditandum

vene-

veneris, & brevi ſpera poſt tenebras lumen cœleſte. Quodſi id contigerit præter tuam culpam, cogita id factum à DEO permittente, ad probandum conſtantiam tuam in bono; tum, ut agnoſcas ejusmodi donum ſolius Dei auxiliô, non noſtro labore & ſtudiô comparari; deniq; ut inveſtiget DEVS, num propter tui ſolius conſolationem, hoc ſanctum negotium exerceas. Unde tunc cognita ejusmodi ariditate Spiritûs, hoc vel ſimili modo loquere ad Dominū: *Domine DEVS Tu noſti, quia non propter meum ſolatium, hanc Meditationem perficiendam incæpi, ſed pure propter amorem Tuum, & propter hunc eandem cum Tuo auxilio, quod humilis cinis & pulvis exoro, perficiam. Novi, quòd nihil boni ſine Te agere poſſim: ergo adfer Cæleſte adjutorium, & perfice opus meum, & voluntatem meam*

ad Te

ad Te solum dirige. *5tò* Si acciderit aliquando gravibus concuti tentationibûs atq; distractionibûs, id minimè curandum, sed pergendum in sancto opere. Quodsi eveniant præter tuam voluntatem, nihil est periculi ad peccandum; Illis tamen, quoties redeunt, toties resistendum, atquè contraria tela ad retundendum opponenda, sicq; magìs DEO gratior erit cum tanto labore continuata devotio. Proderit quoq; non minimùm actus humiliationis tuæ tunc elicere, atq; profiteri, te nihil omnino valere, nihil boni posse sine auxilio Divino; Item agnoscere, justè talia adversùm te permitti propter peccata tua, exprobrando tibi pigritiam in procuranda perfectione majore Christiana. *6tò.* Tandem intra actionem Meditationis debet exardescere ignis, hoc est Spiritualis

fervor

fervor, & animi parati promptitudo in corde excitari, ad fugiendum toto conatu ea, quæ obstant saluti animæ, ad amplectendum verò ea hilariter, quæ utiliter congruunt. Deniq; seriò concipienda est aversio à temporalibus, eorum odium, quæ nociva sunt saluti, & progressûs Spiritualis impeditiva, atq; retardativa; jam autem ad æterna, ac cœlestia toto corde prosequenda, anima præparetur, & totîs viribûs ad ea amplectenda convertatur. Quæ, si servaveris, securũ te facio, quòd absconditum in Solitudine Spirituali cœlestem thesaurũ invenies, quô anima tua locupletata ac exornata tranquillos & jucundos vivet dies, donec æternam quietem obtineat.

QUÆSITUM IX.

Quanto tempore vacandum sit Solitudini Spirituali?

℟. HAc in Quæstione, nihil certi determinari potest, cùm pro Spirituali Solitudine, seu, ut communiter dicitur, pro Recollectionibus, libera sit electio plurium, vel paucio rum dierum, ratione majoris, vel minoris devotionis; tum pro ratione Personarum, aliarumq; circumstantiarum. Vnde, à quibusdam extenditur hoc tempus ad triginta, ad quindecem, ad decem dies, ab aliis ad octo, à nonnullis ad quinquè, à cæteris ad tres, nec ad pauciores descendit. Nos, neq; summam, neq; infimam eligentes praxim, quinque dies Recollectioni Spiritûs præfigimus; si verò expediverit, etiam plures præfixuri, quibus convenientes Medicationum Praxes accomodabuntur. Et quoniam in Solitudine Spirituali sola, duntaxat major Christianæ perfectionis consecutio principaliter inten-

ditur, ideo ad hoc percipiendum proponitur.

QUÆSITUM X.

Quibûs gradibûs ad sublimitatem Christanæ perfectionis in Spirituali Solitudine pervenitur?

℟. SI quis sincerum adhibuerit conatum, cum Dei adjutorio ad summum perveniet: priùs tamen tres erunt ascendendi gradus, cujuscunq; statûs & conditionis fuerint, qui Solitudinem Spiritualem ingrediuntur. *Imus ascensionis gradus in via Purgativa*, cui duo primi Recollectionum dies designantur. Hic consistit in consideratione peccatorum quæ animam turpiter fædant, ut inquit *S. Chrysostomus hom: 28. in 2 Epist. Corinth. Sicut virtute nihil purius: ita improbitate turpius nihil, atq́ obscœ-*

nius est: quæ turpitudo & fœditas his diebûs primîs, per varias pœnitentias, per pias lachrymas, perq; generalem Confessionem Sacramentalem expurganda est. Proinde intra hoc biduum soli expiationi animæ vacandum erit. Aspera quidem hæc est ascensio, sed ducit ad cælum, sicut olim lata & spatiosa via erat, quæ trahebat ad interitum. Sequendum hìc erit *S. Augustini in Ep: Hebr:* 4. *scribentis monitum: Non attendas quâ iturus es, sed quò perventurus.* Hæc enim est Catholicæ Doctrinæ regula, hæc Christianæ perfectionis norma, etiam per difficillima assequi sublimia, vitiosas evellere consuetudines, virtutes radicare, opera tenebrarum abijcere, lumen veritatis agnoscere, in luce ambulare. 2*dus ascensus in via Illuminativa* qui 3*tium* diem, & 4*ti* Medietatem comprehendit:

pera-

peragitur autem in consideratione Divinorum beneficiorum, virtutum Christi Domini & Passionis Ejus. Hæc nempe omnia illuminant omnem hominem in Sacram Solitudinem venientem, cæcitatem mentis depellunt, ut cognoscat suam felicitatem; vitiorum noctem propulsant, ut honestè in die ambulet, suntq; velut lucerna ardens & lucens; qua de causa ad illuminativam pertinent viam.
3tius ascensus in via unitiva cui medietas *4ti* & integer *5tus* designatur, & hic ultimus est sacrorum Exercitiorũ dies. Consistit autem in contemplatione cœlestis gloriæ, in adoratione Majestatis Divinæ, per quos actus anima Ipsi DEO unitur, à terrenis ad cœlestia cum Paulo rapitur, ut dicere posit *conversatio nostra in Cælis est*, jam adhæreo summo Bono per amorem, jam mihi desipiunt bona mun-
di per

di per odium & elongationem cordis ab eis.

QUÆSITUM XI.

Quomodo materia Meditationis in Praxi sit disponenda?

℟. QUamlibet meditandi materiam in puncta esse dividendam, illaq; paucissima; ideoq; ad id perficiendum sufficient puncta tria, aliàs pluralitas obrueret memoriam, & intellectum confunderet. Itaq; finitô *1mô* punctô, percurretur secundum, donec *3tium* perficiatur; terminabunt autem Resolutiones, sive Proposita Meditationem, ut supra dictum Quæs: *2do* in Notato *2dô*. Ubi verò notabuntur stellulæ, ibi paululum in illis membris immorandum erit, & affectus, quos suggeret Spiritus Sanctus, pro quo effectu obtinendo humiliter orandus est, eliciendi.

Nollem

Nollem tamen ut in sequentibus Praxibus huic opusculo insertis, omnino omnia punctorum membra scrupulosè per unam horam percurrantur: sufficit enim solùm quibusdam immorari, reliqua pro alia Meditatione reservando, ut in eadem materia plures fieri possint Meditationes cum majori animæ fructu, dum eadem materia pluries repetita, tenaciùs hærebit memoriæ. Jam igitur sequuntur Praxes Meditationum pro quinq; diebus Recollectionum accomodatæ.

PRAXES
Pro primo biduo in Via Purgativa.
PRAXIS I.
De peccati mortalis gravitate.

Punctũ imum. O miſerrime homo! in peccatum mortale conſentis? illud defactò perpetras? DEUM tuum offendis * Attende, quis eſt DEVS? & quis tu? & inde cognoſces peccati malitiam * Creatorem tuum peccans deſeris, & ad creaturam converteris? O inſaniam! * *Væ eis! cùm receſſero ab eis, inquit DEVS apud Oſeam Cap. 9 ℣. 12.* Recedit autem à peccatore, qui ſe indignum omni gratiâ præſtitit * Peccans Dominum ſuum, cui perpetuò ſervire debet contemnit, & incipit diaboli mancipium eſſe. Nam

dicit

dicit *Augustinus in Epist. ad Rom:* *Vnusquisq; peccando animam suam Diabolo vendit.* * Ille solùm fiducialiter dicere potest: *Tu es ipse Rex meus & DEVS meus* cum Davide *Ps.* 43. ℣. 5. cui non regnat peccatum in mortali corpore. * Desinit esse Filius Dei adoptivus & incipit Diabolum habere Patrem. Ideoquè obstinatis Judæis quondam dixit JESUS Ioan. 8. ℣. 44. *Vos ex Patre Diabolo estis & desideria patris vestri vultis facere.* * Salutaria DEI Magisteria docentis: *Declina à malo & fac bonum* *Ps.* 36. ℣. 27. conculcat; fraudulentum sathanæ virus dicentis: *Sap.* 8. *fruamur bonis, utamur creaturâ, vinô pretioso & unguentis nos impleamus, coronemus nos rosis nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra,* amplectitur * DEVM qui tibi dedit esse, cùm paulò ante nihil eras;

qui te ad felicem condidit æternitatem; qui te ad fidem Catholicam, in qua certus ſis ſalutis obtinendæ, miſericorditer vocavit, qui tibi media eam conſequendi præparavit, conculcas, blaſphemas, affectivè occidis, dum mortaliter peccas; * eligis verò inimicum Dei, diabolum in DEVM & Dominum tuum, qui tibi verum & optimum eſſe eripit, qui te morte æterna interficit, qui te ad infernum, ubi ſempiternus horror inhabitat, ſecum rapit.

Punctum 2dum Ah DEVS meus! cognoſco jam, quid fecerim, & quomodò à recta via erraverim peccando! * Percipio, quomodo receſsi à Patre meo, abivi in regionem longinquam, declinavi à Patria cœleſti, quam mihi per Sanguinem & mortem Filii ſui Unigeniti præparavit: * de ſiliquis porcorum manducavi *Luc.* 15 ℣.

15. ℣. 16. quia terrenas voluptates pro deliciis habui, Cœli gaudia molesta erant mihi & nauseam attulerunt. * Sus fui hucusq; *lota in volutabro luti* 2.*Petri* 2. ℣ 22 cùm peccata peccatis addidi non intendens oculos in Factorem meum. * Contempsi DEVM meum, Dominum meum, Patrem meum. * Ille me ab æterno amavit & sibi conjunxit: ego autem separavi me à charitate Ejus, Cui æternùm adhærere tenebar * Amavi cæcitatem meam tunc, cùm oculos amisi ad videndum DEUM, in quem tota æternitate desiderant Angeli prospicere. * Spoliavi me omnibus bonîs, quibûs me undiq; cumulavit, neq; verebar nuditatem meam stans semper in conspectu DEI. * DEVM è cælo deturbare conabar Regnum Ejus prædando, ut ipse Rex & Princeps essem; & factus sum diaboli manci-

pium, ac veluti nihilum, ante oculos Ejus * Iniquitatem, quam ipſe odiô habuit impensè amavi, & lætatus ſum, cùm ipſe triſtaretur de mea impudentia: * putavi enim, acſi cor mihi ideo tribueret, ut de eo ſola malitia contra DEVM procederet. * Erravi Domine à te, ſicut ovis, quæ periit!

Punctum 3tium Intellectu conſpicio infelicitatem animæ meæ; & quia peccatum cuſtodivi; contremiſco tanquam reus. * Juro exinde cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ Domine, & legē tuam diligere. * Malitiam meam, Tu bonitate Tua ſupple, ego quoq; bonis actionibûs compenſare ſtudebo. * Deſeram abhinc ſervitia diaboli; incipiam eſſe ſervus Chriſti. * Ruinas, quas animæ meæ cauſavi, reſtaurabo, non de meo, ſed de pretio ſanguinis Domini JESV. * Exurgam à ſomno peccati, qui hucusq;

dormivi

dormivi conturbatus. * Egrediar de tenebris in lucem, quam paulò ante odivi. * Levabo animam meam ad cœlestia, qui usq; huc luto infixus eram. * Domine ad adjuvandum me festina, quia bonus es! * *Bibi iniquitatem sicut aquam Iob* 15 *factus sum quasi ebrius. Ierem:* 23. ideoq; *moti sunt pedes mei in infernum.* * Jam exinde *sitiet anima mea ad te DEUM fontem vivum salientem in vitam æternam* * Erue me Domine ab expectantibus interitum meum, & averte faciem tuam à peccatis meis.

In eadem materia
De peccati turpitudine.

Punctũ 1mum. Quid peccati fœditate turpius? si habes centum linguas, & tot Angelica ingenia, responde. * Minùs longè, quàm ipsa res postulat dicam: est monstrum

horrendum, & monstrîs terribilius portentum. * Hoc vitiosa genuit voluntas, mali corvi, malum ovum. * Hoc Angelum lucis, in Dæmonem tenebrarum Principem efformavit; quem miratur Propheta: *quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris? Isa 14 ℣. 12.* * Nigredo peccati teterrima: de peccatoribus loquitur Ieremias *Thren.* 4 ℣. 8 *denigrata est super carbones facies eorum & non sunt cogniti in plateis;* idest à Beatis Civitatis Sanctæ Hierusalem. * Peccatum, cruda cicatrix, pestifera sanie corrupta, olet, ùt antrum Tartari. * Anima per mortale peccatum deformata, gehennâ terribilior, diabolo similior, putido cadavere detestabilior. * Bene *Anselmus Lib. de similit. Cap.* 190. *Mallem purus à peccato gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus Cœlorum regna tenere.* * Cernis peccato-

rem

rem? *Ecce vir plenus leprâ Luc.* 5 ℣. 12 illa corpus, peccatum, animam inficit & maculat. * Fœtet cænum, fœtet unda ſtagnans: ſed quid fœtidius, quid obſcænius peccatîs, quæ veluti aquam olim biberam?

Punctum 2dum Ego amavi fœditatem meam. * Gaudebam, cùm amiſi pulchritudinem cæli. * Exultabam, cùm abominabilem reddidi decorem meum. * Luto adhæſit anima mea, in quo ſicut porcus volutabar, & placuerunt oculis meis ſordes meæ. * Non verebar, nec abſcondebam turpitudinem meam; ſed lætabar, cùm iniquitatem fecerim. * Factus ſum ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. * Malum coram te feci DEVS, ſordibûs inquinavi animam meam, & non erubui ſtans ſemper in conſpectu Tuo.* Iniquè egi, & factus ſum opprobrium omnibus aſpicientibus me; & tamen inde gloriabar.

Punctum 3tium In lumine tuo DEVS cognoſco turpitudinem peccati mei. * Eluam pœnitentiæ lachrymîs ſordes animæ meæ, ut purus inveniar in oculis tuis Domine. * Ambulabo cautè, ne cæno peccati inquinem pedes meos. * Cuſtodiam ornamenta gratiæ, ne contingat deprædatio eorum. * Induar habitu virtutis ex alto; ne erubeſcam nuditatem ante oculos tuos. * A cæno ad cælum levabor, & redibit mihi pulchritudo mea.* Indue Domine decorem tuum & purifica me. * Operi nuditatem animæ meæ, & opprobrium meum amove à me.

In eadem materia

De pœnis peccati.

Punctũ 1mum. PEccavi peccatum grande, cùm mortale admiſi, quod malitiâ ſua ſummam Dei bonitatem offendit

offendit. * Vivamne securus? vivamne lætus? minimè. * Vivam mortuus: nam, *qui non diligit, manet in morte. 1 Ioan. 3. ℣. 14.* * Feci iniquitatem, mortem animæ meæ causavi: nam legitur *Sap. 1 ℣. 13 DEUS mortem non fecit.* * Manet adhuc spiritus in corpore subdito peccatis? utinam non maneret! * Tot enim in se hostes, tot juratos nequitiæ suæ vindices concitavit, quot sunt creaturæ. * Omnes & singulæ vindicabunt Dei injuriam, omnes in peccatorem conspirârunt. * Torquebit dæmon & æternùm subsannabit: *Vret sempiternus ignis, qui paratus est diabolo ab origine mundi, his, qui malè arserunt. * Mare fluctibûs concutiet absorbebitq́; ut inobedientem Jonam & mandata Domini transgredientem. * Terra dehiscet, devorabitq́; Core & Abiron. * Lapides de parietibus clamabunt: *

Fulmina

Fulmina obruent, ſtellæ de cœlo cadent, ut terreant, ut conterant peccatorem. * Creaturæ, ſi cruciare deſierint, ipſum peccatum ſibi pœna, ſibi mors, ſibi flagellum, ſibi crux & patibulum & carnifex, ſibi deniq; infernus. * Intrinſecam malefactor pertulit ultionem, dum deliquit: *inquit enim Caſſiod. Lib. 15. de juſt: Chriſt: ſeo ipſo quisq; punitur interiùs, quô conſentit facere, aut perficit facinus.*

Punctum 2dum Ego tamen inter gladios, qui me ad diviſionem animæ vulnerabant, ſine vulnere me vivere exiſtimabam. * Vbi mori incipiebam, ibi me dulci ſomnô perfrui clamabam. * Inter inferni ardores, qui animam meam torrebant, dicebam me in refrigerio eſſe. * Arbitrabar, quòd poſsim innocua manu ſerpentes & viperas tractare, quæ me toxicô ſuo inficiebant. * Communicavi

municavi ſuperbo & malitiæ, me tamen putavi bonum & humilem eſſe* *Quid communicabit cacabus ad ollam? Eccl.* 13 ℣. 3.* Illos conſcientiæ morſus, vermes qui non moriuntur, carnifices perpetuos; vocabam delicias meas. * Illa, quæ maximè nocebant, non aprehendebam, nec cogitavi in medio periculorum mari de fluctibus, de naufragio; non adverti, quanta ſint mala, quanta ſupplicia peccata! * Securus incedebam, ubi omnia latrociniîs plena.* Ridebam, ubi amarè flendum erat. * O amentiam! o guſtum maligna peccatorum febri corruptũ! o inſanam mentem! putabam, quòd poſſum habitare cum igne devorante.

Punctum 3tium. Ergo erravi à via veritatis! * Revertar ad Dominum meum, quem deſerui ſerviens vanitati. * In cubili, in quo dracones habitabant, erit ſemita & via Sancta.*

Non

Non erit mala bestia in corde meo.* Ejiciam ancillam, quæ me coëgit servire peccato. * Timebo DEVM Judicem, in cujus manibus vita & mors, cœlum & infernus, salus & interitus.* Extinguam pænitentiæ lachrymîs sempiternos ignes. * Internos conscientiæ remorsus expiatione peccatorum evacuabo. * Adjuva Domine imbecillitatem meam!

PRAXIS II.

De non spernendo veniali peccato.

Punctũ Imum: DIxerit quispiam, lata viâ cupiens pervenire ad cœlum, peccatum veniale quid parvum esse. * Quomodo est parvum, quod magnum DEVM offendit? * quomodo parvum, quod magnopere displicet DEO? * quomodo deniq; parvum, quod magnam homini adfert ruinam? beatitudinem consequendã

impedit

impedit, ut cum eo simul subsistere nullatenus possit: *nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum cælorum, aut abominationem faciens Apoc. 21. ỿ. 27.* * Nemo dicat in corde suo: *Levia sunt ista; non curo corrigere; non est magnum, si in his maneam venialibus; hæc est enim dilectissimi impœnitentiâ, admonet mellifluus Doctor in Convers. S. Pauli.* * Quisquis se in veniale resolvit peccatum, resolvit se in Dei offensam, in Dei contemptum, legis & mandatorum Ejus. * Ergone leve erit, etiam levissimè contemnere DEUM Creatorem tuũ? * Tu, qui pulvis es & cinis, etiam leviter contemni non pateris: quid Deus Dominus tuus, Rex tuus, Pater tuus, Glorificator tuus? * Audi quid inquit Doctorum coriphæus *Augustinus: Levius malum esset, si orbis universus funditus everteretur, & omnes homines,*

mines, tum Angeli annihilarentur, quàm, si unum levissimum peccatum committatur. * O cæcitatem hominũ, quæ non videt, quem offendit, quem injuriat, quem contemnit! * Aut oculos amisit, qui hæc non respicit; aut intellectum & rationis usum, qui hæc non intelligit.

Punctum 2dum: Tantæ hucusquè amentiæ fui, ut non intelligerem, quid sit DEVM leviter contemnere. * Sprevi Dominum meũ, ipse æternùm spernendus. * Infinitè amandum, & toto corde, totis viribûs amandum non amavi, sed impudenter sprevi. * O barbariem inauditam! * Patrem contemnere timet filius verecundus; Dominum offendere, bonus servus metuit; Principem lædere, humilis subditus reveretur: tu audacule, dum veniale, sine verecundia perpetras, Patrem, qui in cælis est, despicis;

Regem Regum & Dominum Dominantium, ſerve nequam parvi pendis. * Feresne fronte imperturbata ejusmodi tuam impudentiam? * Nonne revereris hunc, qui te æternùm glorificare pollicetur? qui te æterno cruciandum igni tradere poteſt? * Non offenderes potentem hominem, ſic ſicut tu es, mortalem, à cujus arbitrio tua fortuna, vel miſeria, tua vita, vel mors dependeret: & hoc ipſum, ſed quàm imprudenter, contra DEVM Factorem tuum, qui uno nutu cuncta delere poteſt, committere non dubitas? * DEVM tuum adora, & fideliter famulare Benefactori tuo!

Punctum 3tium: Intellexi malum meum. * Cognovi bonitatem Summi DEI. * Patientiam Ejus diuturnã ſuper inſipientiam meam, ampliùs non irritabo. * Non conſiderabo in peccatis, quòd parva ſint; ſed quòd

magno

magno DEO displicent infinitè, Eumq; offendunt, ita; ut nulla pura creatura, quibuscunq; dotibûs cumulata, ejusmodi offensam de condigno reparare posſit. * Toto conatu minimam quoq; abominabor offensam, quam DEVS infinito odiô prosequitur. * Iuro & ſtatuo, cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ Domine. * Heu me, qui talia olim audenter patraverim, quæ in aliis reprehendo! * Non dicam ampliùs: leve eſt & parvum, quod commiſi: nam ex Perſona offenſa, infinitam gravitatem colligo. * Non tolerabo minimos defectus, quos Iuſtitia Divina impunitos non relinquit. * Surgam, qui toties cecidi. * Suppone miſericors Domine manum tuam, leva leviter cadentem, ne grave patiar vulnus. * Minimum peccatum, ſed maximum æternæ beatitudinis, quâ privat, detrimentū. *

Pro inani nuga totum cæli lucrum non vendam. * Amabo te, infinitè amandum: nunquam vel levissimè offẽdam, à quo omnia bona naturalia & supernaturalia, interna & externa habeo.

In eadem materia

De periculis peccati venialis.

Punctũ imum. Putasne te securè procedere in lege DEI, qui levia committis peccata? falleris. * Est in hac via coluber, aut latens cerastes. * Inquis: quid refert, si vanum dixero verbulum? * Quid nocet, si jocoso mendaciô, illudam proximo? * Quid est illud, si in re levi Majoribus non obedivero? * quid est, si videro faciem mulieris comptæ? * Ex his, quæ videntur minima, si ea contemnimus, facilè ad magna dilabimur. * *Ex hoc, quid est hoc? quid est illud? quid refert? perversa consuetudo imbibitur,*

& datur initium, ut graviora contemnamus, ait Didacus Nifs. Pol. Cœl. p. 2 l. 8. c. 5. * Modica ſcintilla eſt, dum cupiditati non nihil permittitur: ſed non parvum incendium cauſat, dum vivaciùs accendatur. * Parvus in pariete digitus, formidandum Gentibus Balthaſſarem terruit. *Dan:* 5 ℣. 6. * Exiguus lapis à monte abſciſſus, Nabuchodonoſoris magnificam ſtatuam modicùm in pedibus percuſſam, dejecit & contrivit *Dan:* 2. * Ab ove Uriæ (ſic Bethſabee uxorem Uriæ vocavit Nathan 2 *Reg.* ℣. 12) ſuperatus David, qui olim urſum & leonem interfecit: dum oculîs primò vidit, deinde corde in malum conſenſit, & tandem opere implevit. * Vitium ſemper in deterius creſcit, donec in Gigantē adoleverit. * Initiô muſca, cùm ad finem pervenerit, elephantē æquabit: ſicut in exortu gutta, in navales tandē

exundat

exundat fluvios. * Minimum est Sinapis granum, sicut veniale peccatum in existimatione laxarum conscientiarum: * sed cùm creverit, majus est omnibûs oleribûs: nempe cùm iterũ, iterumq; commissum fuerit, justo Dei judiciô ad majora disponet, fietq; majus, cùm in mortale consenseris. * Ex parva negligentia, incurabilia veniunt vulnera. * Nemo repente fit malus, sed paulatim procedentibûs vitiîs: * Ex tenuibus mulierum capillis, venenosi nascuntur dracones * Monet *Ecclesiasticus cap. 19. v. 1. Qui spernit modica paulatim decidet.*

Puctum 2dum. Tantam mihi ante hoc lumen promiseram securitatẽ. * Contempsi levia, & lapsus sum graviter. * Risi, cùm me parvus tentaret languor, & cùm ventum est ad gravem infirmitatem, utroq; supercilio deploranda erat. * Parvo pomô,

ſicut puer deceptus ſum. * Duxit me Angelus ſathanæ in aquã, primò ad talos, & ſubmerſionem non vitavi: rurſus ad genua & audacior factus ſum etiam in fundum ire; ſicq; in torrente, qui pervadari non poterat, miſerrimè perii.* Bene *Damianus in Ezech. cap.* 47. *de parvis aquis ad intransmeabilẽ torrentis plenitudinem pervenitur.* * Perveni miſer homo, & immerſus ſum.* Salva me Domine, quia pereo.

Punctum 3tium. Iam abhinc ſtatuo, quia cùm incipiam mergi, clamabo ad te Domine: * Extende miſericors JESV manum & apprehende periclitantem. * Non expectabo, donec fluctus obruent humeros & caput; cùm non rarò ſuperatô marî magno, in in littore naves periclitentur. * Cavebo à falſis Prophetis, qui extenuant peccatum, ut creſcat malitia: * facilem pollicentur veniam, ut crudeliùs

deliùs occidant incautos: * latam & laxam ad cælum viam, cùm ſtricta ſit, oſtendunt, quâ ad tartara perducant. * Deponam puerorum mores, quos parva & levia oblectant. * Non erit apud me penitus leve & parvum, quod in Divinam tranſit offenſam. * Deponam hanc cordis puerilis ſtultitiam.

In eadem materia

De pœnis peccati venialis.

Punctū imum. Nullum, quantumvis leviſſimum peccatum, vult DEVS tranſire impunitum. * Minimorum Rei, priùs per ignem & aquam tranſibunt, antequam in refrigerium pervenerint. * Guſtabunt amaritudinem fellis ante cæleſtem dulcedinem. * *Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatū* Iſa: 5. ℣. 18. ſeu, ut legit Chaldæus: *væ! qui incipiunt paulatim peccata.* * Ille Pro-

pheta

pheta 3 *Reg.* ℣. 23. qui miraculosè arescentem Ieroboamo manum restituit, dum à quodam Pseudo-propheta seductus comedit panem, in pœnam tam levis peccati, rediens, in via à leone occisus. * Zacharias ob suam incredulitatem, non impunitus remansit *Luc.* 1. ℣. 20. * Quid? si in pœnam minoris peccati, majus permittatur: quo non est major pœna. * Time unam scintillam, quia illâ augetur ignis: time levissimum quoq; peccatum, quia aliis januam aperit. * Qui lapsus est semel in lutum, parum curat, si secundò labatur. * O quàm parvis veniunt summa mala principiîs!

Punctum 2dum. Non intendi oculos meos in mala, quæ mihi præparata sunt. * Risi in amentia mea. * Ludebā cum viperis, manuq; nuda venenosos tractabam serpentes, & nihil timui. *

Ignem

Ignem in ſinu geſtabam, & ardores non ſum veritus. * Venit tandem tempus, quô mihi toxica nocuerunt viperarum * Colludebam catulis leonum, qui in me dentes acuerunt. * Riſi, ut fatuus, cùm DEVM nugîs & vanitatibûs ad iracundiã provocavi. * Sic irritatus deſeruit me: quo malô quid pejus?

Punctum 3tium Eheu me infelicem! qui non timui venturam iram. * Non decebat Chriſti ſervum, contemnere bonum Dominum ſuum. * Non oportuit ſervire vanitati, ſed DEO. * Ego autem multiplicavi irreverentias in Hunc, coram quo contremiſcunt omnes cœli Poteſtates. * Reformido pœnas. * Culpas meas totius mundi cruciatibûs vindicari neceſse eſt. * Non decipiet me ampliùs aſtuta vulpes hac ſuaſione: parvũ eſt, veniale eſt, quod agis, age citiùs *

ùs. * Nam magna pœna reſtat. * Quælibet bonitatis Divinæ offenſa, eſt infinita: ignibûs inferni non expiabilis. * Sed mecum miſericordia DEI!

PRAXIS III.

De certitudine mortis & hora ejus incerta.

Punctũ 1mum. IBit homo, ibit in domum æternitatis, nec inter homines, homo immortalis vivet. * Natus eſt contingenter, ut neceſſariò moriatur. * Bene *Tertullianus in* 1. *Reg.* 4. *Annotat*: 11. *Mutuum debitum eſt inter ſe, nativitati cum mortalitate.* * Huic legi hominē ſubjecit peccatum. * Ab hac, non Rex, non ſervus, nec bonus, nec malus liberatus eſt. * *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat Eccl.* 1. ℣. 7. Abripit mors omnes,

nec

nec satiatur, donec omnes mortui fuerint. * In præsentis vitæ militia, veluti in acie pugnantium versamur; in qua nemo, ut immunis evadat, alium substituere potest in locum sui: in propria persona moriendum erit. * Cadendum erit in spolium morti omnibus & singulis. * Sed quo annô? quâ ætate? quo mense? quâ die? qua horâ? quo momentô? quibusq; in circumstantiis? * *Nescit homo finem suum Eccl. 9 ℣. 12.* * DEUS scit. * Ille sic fecit, ut me semper paratum, & semper mundo corde inveniret. * Magnificas nobis ædificamus domos, in quibus an habitaverimus, ignoramus. * Certissima domus nostra, sepulchrum; urna, indubitatum palatiū; triū cubitorum terra, amplissima aula. * Nescit piscis, quando comprehendetur hamô, nescit homo, qua vigiliâ, qua ætate vocabitur à Domino. *

Hodi-

Hodiernum diem vivo, forsitan non videbo crastinum. * Quotidie iter tuum expecta viator & ad ingrediendum iter mortis, te præpara.

Punctum 2dum: Vixi ego hucusq; tanquam nunquam moriturus. * Existimavi vivacitatem corporis mei, juvenilem ætatatem fore perennē. * Non cogitavi: quòd honor meus, existimatio, excellentia mea, amicitiæ meæ, divitiæ meæ, quòd anni mei, finientur brevi. * Non revolvi animô corpus meum, vermibus in escam cessurum. * Et, cùm mors ad omnem virtutem stimulus mihi esse debuit; eam, in mentem non revocavi; ut securiùs agerem, quod non expediebat. * Mundum cum suis vanitatibus perennaturum putavi, qui me horum fecit hæredem, quæ ipsi relinquere cogor: * &, quæ arbitrari debui, ut stercora, ut Christum lucrifa-

cerem; ego, ut quid pretiosissimum æstimavi, ut mihi dæmonium emerẽ.* Servivi vanitatibus ferventer, quæ cor rumpendæ sunt; servitia DEI reliqui, pro quibus felicem mihi æternitatem promisit. * Et hæc feci, quia mori non timui, mori non cogitavi.* Cùm omnes creaturæ clamabant: nos legem habemus, & homo secundùm legem, debet mori; ego tamen me semper victurum speravi, easq; amavi, ad voces earum aures obturavi.

Punctum 3tium: Væ mihi! quia semper imparatus eram. * Extergam oculos mentis cinere mortis, ut videam & detegam fraudes dæmonis. * Purgabo cineribûs in quos convertendus sum, conscientiam meam; ut mundus consistam in conspectu Judicis Dei. * Fluxa & caduca bona, corporis commoda, pretiosas vestes, excellentiam meam magni faciebam:

o quàm erravi! * Nil proderunt, nihil in morte juvabunt. * Recedent amici, fugient servi, divitias alienæ rapient manus. * Nolui hucusq; scire diem & horam mortis omnino incertam esse: ergo vigilabo; ne imparatus absumar, cùm nihil sperarem. * Veniet hora, quando operari non potero: ergo, dum tempus habeo, operabor bonum. * Non quæram longos annos, sed bonam vitam. * Dies æternos cogitabo; imaginem mortis in mente habebo; ut lætus moriar, & lætus vivam.

In eadem materia.

De pretiosa morte Sanctorum

Punctũ *1mum*: Mors malum est, quo non datur pejus, nec terribilius. * Innatus est amor unionis animæ cum corpore, quám mors dissolvit: hoc mens, animusq; horret,

ac

ac refugit. * Hoc malum juſtis in bonum evenit. * Hoc Amatoribus mundi velut importabile jugum; illis tamen ſuave & leve, quia eos in ferendo ſublevat Dominꝰ JESUS; iſtis graviſsimum, quia eos premit ſarcina vanitatis amatæ. * Habebat Paulus *Ep: ad Philip:* 1. ℣. 23. *deſiderium diſſolvi, & eſſe cum Chriſto:* minimè veritus eſt depoſitionem tabernaculi ſui Petrus in carcere conſtitutus, quam velociter ſibi imminere ſignificavit Chriſtus 2. *Pet:* 1. *v.* 14. * Viris enim probis, mors, aliàs terribilis, læta & optabilis. * Ideo *Origenes in Iob* 17 *inquit: ego habeo conſolatores, mortem & putredinem.* * Sancti moriuntur in pace poſt fortiter geſta cum carne & dæmone prælia. * Quid enim juſti in morte timebunt? * Non ſic vixerunt, ut eos puderet mori. * Non ſeparabuntur

buntur

buntur à carne & sanguine, quia illis conjuncti non erant. * Non dolebunt deserere domos & agros, quia illis amore non adhæserunt: odiô habuerunt mundum & omnia, quæ in mundo sunt: ergo jucundum eis divortium fiet à rebus, quas non amaverũt.* Homo Sanctus audiet in morte: *Euge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui: date ei de fructu bonorum operum*: quid ergo in morte timebit? * Exitura de mortali corpore anima justi, cantabit cum Paulo: *tempus resolutionis meæ instat: bonum certamen certavi, cursum consumavi, reposita est mihi corona justitiæ.* * Iusti morientes; in gaudio exultabunt dicentes 1 *Cor.* 15 ℣. 55. *ubi est mors victoria tua?* non læditur enim morte corporis, qui mortem peccati vicerit aliquando.

Punctum 2dum: O quàm mors Sanctorum optanda! * Pretiosa est, sed ideo

ideo nonnisi, magno virtutum, inæstimabili bonorum operum pretiô emenda. * Desiderabile est cunctis bene mori; sed nullis datur, nisi benè viventibus. * Nunquam tamen malè moritur, qui bene vixit: ideò bonis Christianis, mors est ludus. * Fideles servi IESV Christi, securi modulantur: bonum Dominum habemus; pœnitentiâ Eum placavimus, peccatîs non irritavimus; non timemus mori. * Morientur equidem dilecti Domini, sed sine planctu, morientur ad meliorem vitam capessendam. * Apud justos dies mortis, melior est die nativitatis: *beati enim mortui, qui in Domino moriuntur. Apoc.* 14. ℣. 13. * Cadaver sancti hominis, Leo terribilis non comedit, quia custodit ossa ejus Dominus. * Exultate justi!

Punctum 3tium Ah me infelicem!

Non

Non vixi taliter, ut mortem Sanctorum promeruerim. * Vilitatem meam amavi; ideoq; pretiosa Sanctorum morte indignum me reddidi. * Non potest sperare bene mori, qui malè vixit. * Cognosco bonum esse mori morte justorum: ego tamen laboravi, ut diu viverem; non, ut bene morerer. * Non est me stultior hominum, qui in eo statu vivere non sum veritus, in quo nollem præoccupari à morte. * Placebat mihi de pessima morte triumphus; sed strenua cum vanitatibus displicebat pugna. * Emendabo vitam, quam vitiavi, & præstolabor mortem sanctam, abjecta perversâ vitâ. * Iejunabo à vitiis, ut ad paschale perveniam convivium. * Fugiam Babylonem, ut ad veram Beatorum Patriam perveniam. * Fugiam diabolum, & appropinguabo Christo. * Præsta Domine, quod mihi bo-

num

num eſt: dona quod peto; effice quod opto. * Monet *Auguſtinus ſerm:* 24. *de ver. Domini: Vive nunc bene, ne moriaris malè*: obtemperabo monenti. * Hucusq; non timui malè vivere, & timui malè mori: abhinc timebo malè vivere; ut non metuam malè mori.

In eadem materia

De peßima peccatorum morte.

Punctū imum. MOrs ex ſe terribilis: ſi mortali peccato fuerit conjuncta, fit omnium terribilium terribiliſsima. * Tunc egredientem animam inferni ignis peccatori paratus torquet; dæmon veluti ſuum ſpolium rapit. * Mundus cum ſuis vanitatibus, qui olim blandiebatur deſerit; fugiunt ſervi, conſcientia arguit; nulla bona opera ſolantur; mala ante oculos exhibentur; Iuſtus Iu-

dex ſententiam damnationis pronunſtiat. * O infelix exitium animæ, quô nullum majus! * Vndiq; circumſtant inevitabilia mala; à nullo veniunt ſolatia minima, nec ſperantur ventura. * Immoderatus vitæ amor abhorret mortem; corpus in vita delicatè habitum imminentibus premitur anguſtiîs; dæmonum ſpectra, terrent exeuntem animam. * Fraudati mercede ſervi, oppreſsi pauperes & ſubditi clamant ad morientis aurem: redde alienum! compenſa injurias, ſatisfac oppreſsis. * Obtruditur oculis præcedens ſuperbia vitæ, captata hominum gloria, vana honorum ſpes, divitiarum cumuli, omnia deſerenda. * Socii malarū actionū, ſeductæ animæ per peccatum, fraudibûs & dolîs circumvenientes inſtant contra moribundum, crudeles verò exactores, animam à corpore repetunt. * O quam

durum

durum mortis imperium in peccatores! * Cadent in faciem, cùm moriuntur, *ùt Goliath.* 1. *Reg.* *v.* 17. quia non consveverunt oculos in cælum levare viventes. * Sepelientur in inferno cum divite Epulone, famemq; patientur ùt canes, qui quotidie epulabantur splendidè, byssô & purpurâ vestiebantur. * Morientis peccatoris anima satagit in corpore manere, & exire compellitur, vult recuperare perdita, neq; tamen auditur, cupit non esse, & ad infelicé æternitatem rapitur. * Clamat iratus Judex: *Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non erat, qui aspiceret: ego quoq; in interitu vestro ridebo.* Prov. 1. *v.* 24.

Punctũ 2dum. Fateor peccatorum maximus coram cælo & terra, me hujus generis promeruisse mortem. * Ego sum vir ille filius duris-

ſimæ mortis. * Ego contempſi legem Dei & feci malum in conſpectu ejus. * Gratiis cæleſtibûs, quas abundè accepi, ut bene agerem, odia & indignationem æternam malè agendo procuravi mihi. * Reminiſcor peccatorum, quæ patravi in vita mea, & ideo non poſsum lætus mori. * Conſcientiæ ſtimulos ad virtutem me urgentes contempſi; lumen, quod deſuper infundebatur ad tenebras damnavi, & ideo timeo umbram mortis. * Vocabat me benignitas Dei à viis peſsimis, & obturabam aures, ne audirem. * Svadebant beneficia, ut eum, qui in me liberalis fuit, amarem: & ego gratias illius in odium converti: & quomodo lætus poſſum mori? * Timeo juſtitiã Dei, qui talia feci. * Nunc primùm oculi mei aperiuntur, cùm eos claudere mors cruenta ſatagit. * Nol-

lem

lem aperire pulsanti Judici, quem me contempsisse memini. * Sed necessariò moriendum est; Ah bona ne, vel mala morte?

Punctum 3tium. Quando tandem, tantum Deo nunc, quantum olim mundo; tantum virtuti, quantum vanitati famulabor? * Altè suspirandum venit, quid mecum fiet: qui factus sum servus nequam & inutilis? * Comminatio illa: *time Deum & recede à malo Prov. 3. ℣. 7.* ira & indignatio, non tantum apud me valuerunt, ut me averterent à peccatis. * Et ideo audire debeo desuper, *excidatur infructuosa arbor, ut quid terram occupat?* mittatur in ignem; intereat operans iniquitatem. * Assvevi in vita corporis commoditatibus: o quàm amara erunt delicato tormenta! * Assvevi risui & vanitatibus: quomodo tolerabo æternos fletus &

ſtridorem dentium? * Aſsvevi deliciis, recipiendis reverentiis, mollibus veſtimentis, convivationibus; quomodo perpetuam ignominiam, famem, nuditatem ſuſtinebo? * Orabo nunc Deum, ut ſuper lectum doloris opem mihi ferat. * Nulla datur in inferno correctio, nunc emendabo vitam, nunc dolebo. * *Culpâ rubet vultus meus, ſupplicanti parce Deus!*

PRAXIS IV.

De inferno damnatorum.

Punctũ Imum: INquit Regius Vates *Pſ.* 54. *v.* 16. *veniat ſuper illos mors, & deſcendant in infernum viventes.* * Quis in infeɹno vivit: ubi vermis eorum non moritur? * Svadet inquam Propheta conſiderationem mortis, & luſtrandum animô infernum damnatorum; ut ejus memoria

ria metum incutiat. * Adhibe aures ad portas inferni, & ecce ploratus & ululatus multus. * Contemplor lacum illum igne & sulphure æstuantem contaminatæ sceleribûs animæ justö Dei judiciô præparatum. * Hic est status omnium malorum aggregatio: * Locus teterrimus & infelicissimus, in quo irrevocabili Dei sententiâ peccatrices animæ suppliciis æternis deputatæ sunt: * Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. * Nulla spes boni, omnis desperatio mali. * Audiuntur duntaxat maledicta in Deum, maledicta damnatorum mutua. * Fel draconum & venenum aspidum, cibus eorum. * Audit ibi superbus, audit delicatus olim, illud *Apocalip.* 18. *v* 7. *quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* * *Quis igitur ex vobis poterit*

vit habitare cum ardoribus sempiternis? cum igne devorante? Isa: 33. v. 14. * Pæna damnatorum initium habet, finem nullum. * Quamdiu Deus; tamdiu infernus. * *Timete eum qui potest, & corpus & animam mittere in gehennam. Hunc dico timete Matt.10.v.28.*

Punctum 2dum. Quid mecum fiet, qui idem omnino feci, quod illi, qui iam damnati sunt? * Non possum ridere in sempiternum, nec siccis videre oculîs tantam infelicitatem. * Vellem sangvineis lachrymîs eluere maculas peccatorum, ne æternis deputer ejulatibus. * Amisi æternam beatitudinem, & lucratus sum pro modico oblectamento infinitos cruciatus: flebo perenni luctu, ut amissa recuperem. * Mortuus sum veræ vitæ, resurgam per pænitentiam seriam. * Omnia bona perdidi, & ex filio Dei, factus sum mancipi-

um

um diaboli, inferni hæres: irreparabile damnum! * Corporis vana pulchritudine abusus sum, ut turpitudinem peccati diligerem. * Amicitiâ hominum, quâ lucrari debui amorem Dei, in odium incurri. * Di, vitiîs, quibûs Cæli Regnum potui, inferni exilium emi. * Intelligentiâ meâ usus sum ad fraudes & astutias, ad pessima bono publico consilia. * Annos meos in commessationibus, ebrietatibus, impudicitiis cõsumpsi. * Ipsam misericordiam Dei violavi, quæ patienter expectavit emendationem, eam provocavi ad vindictam peccatîs meîs: cóègi, ut mihi ignes inferni incenderet. * Dicebam: o quàm insolentissime heri peccavi, & pepercit mihi Deus; hodie pecco & parcit mihi Deus; peccabo quoq; cras & parcet Deus. * Tam impudenti stultitiâ mea auxi damnatio-

nem

nem, auxi ignominiam. * Superbia mea elevabat me ad cælum; & justitia Dei depressit ad infernum. * Existimavi me esse hominem supra homines; & nunc sub pedibus diaboli, æternùm vilitatem meam plorabo.

Punctum 3tium. Habui in manibus meis cælum; sed malè operando elapsum est. * Cum quanta solicitudine laboravi, ut mihi damnationem semper duraturam lucrarer. * O me nimis fatuum! si partem laboris impendissem? quantum bonum, quàm optabile meruissem! * Nunc à furore Dei ignis accensus est, & ardebit usq; ad inferni novissima: flammas mente non sentio. * Vtinam saperem & intelligerem! * Sordibûs inquinata est anima mea, nec eas expurgavi, nec recordatus sum finis mei. * O cæcam insaniam meam! in limine orci constitutus fui, & vi-

cinam calamitatem non vidi. * Sine ulla ſolicitudine indormivi ſceleribus meis, & non ſum ardorum ſempiternorum recordatus. * Redde mihi Domine ſenſus & intelligentiam; examinabo, quantum malum feci, cognoſcam iniquitatem meam & ſcrutabor animô ima inferni. * Habeo, unde me damnet impietas mea; ſalvet me tamen miſericordia DEI. * Gravat me malitia mea usq; ad profundum laci; eripiat me inde bonitas tua Domine. * Redibo ad cor meum, quod amiſi, cùm opera diaboli amarem. * Recogitabo abhinc ſupplicia inferni, eritq; timor eorum ſemper ante oculos meos.

In eadem materia

De variis damnatorum pœnis.

Punctũ imum. INgredior cogitatione profundum inferni damnatorũ; mente

mente & oculis revolvo illa mala, quæ DEVS præparavit peccantibus in ſuam bonitatem. * Aſpicio illam terram miſeriæ & tenebrarum opertam mortis caligine. * Ibi nulla dies, ſed nox perpetua; nullum lumen, ignis ardens non lucens, omnes in tenebris conticeſcunt. * Ibi labor ſine requie, tormenta ſine modo, timor ſine ſpe; infelicitas ſine fine; patria omnium malorum. * *Vermis eorum non morietur, ignis non extinguetur*, *Iſ*. 66. ℣. 24. Exponit quosdam cruciatus David *Pſ*. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* * Omnes damnati duriſsimis conſtricti catenîs & compedibûs, liberè moveri non poſsunt, incedere, quò nolunt, debent. * Fœtor intolerabilis per omnia diffuſus. * Turbulentiſsima aura, turbulentiſsimæ tempeſtates,

rugitus

rugitus, furiæ, rabies, desperatio in animas incessanter sæviunt. * Propheta tamen, hæc partem appellat pænarum: hæc enim sunt initia dolorum. * Longè majora congregabit Dominus mala in damnatos. * Subsannabunt & exsibillabunt eos dæmones. * Nemo consolabitur contristatos. * Dum in medio flammarum ardebunt, dum in malam crucem agentur; ridebuntur, quod est omniũ miseriarum maxima, afflictos affligere. * O tremendum spectaculum! * Quis præ timore non expallescet? * hæc sunt intolerabilia; sed longè intolerabiliùs est à Beatorũ gloria excludi, & odiô haberi à Christo. * Videntes damnati se spoliatos cælesti felicitate & visione Dei, vociferantur, furunt, effervescunt: nam corpus flamma, animam tristitia exagitat. * Qui se olim viventes aver-

tebant à Deo ad amorem creaturarum; à mortuis abſcondit faciem ſuam Dominus, & projicit eos à conſpectu ſuo in æternum. * Quis tam magnum malum comprehendere poterit. ?

Punctū 2dum. Quis valet explicare calamô, quæ tormenta malè viventibus præparavit Juſtitia Dei? * Quis cogitatione concipiet, quòd hæc calamitas ſemper durat, nunquam deficiet? * Quid profuit inanis gloria, quâ delectatus ſum, dum me perpetua replevit confuſio? * Quid brevis, quæ jam tranſiit lætitia, quam vivens quærebam, ad æternam triſtitiam, quæ me occupavit? * Quid potentia mundi, quâ gloriabar; dum ſub poteſtate dæmonum miſer conſtitutus ſum? * Quid magna Familia & mala concupiſcentia, cùm factus ſum in æternum mancipium

diaboli? * Vbi ſunt riſus & joci? ubi ſuperbia? ubi voluptas & dominatio? ubi delicati horti? ubi palatia? ubi ſolatia & deliciæ? * Mors depavit eas, deditq; in remunerationem infinitos cruciatus & tormenta. * *O quàm horrendum eſt incidere in manus Domini?*

Punctū 3tium Aprehendam nunc diſciplinam, agam pænitentiam, ne iraſcatur Dominus. * Faciam verbum Jeſsæi Vatis *Pſ.* 54. *Deſcendam in infernum vivens*, ne deſcendam moriens, * Conſiderabo cruces, patibula, equuleos, ardores ſempiternos; ut vel iſta ab offensa Dei me retrahant. * Orabo ſupplex cum *Auguſtino: hìc ure, hìc ſeca, hìc non parcas, ut in æternum parcas.* * Dicam cum *Bernardo: paveo gehennam, ubi erit fletus, prævenio fletibûs fletum.* * Guſtabo vivens illius Babylonis ca-

licem

licem iræ, ne eum bibam in æternuum moriens. * Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. * Non permittas, Bone DEVS relegari miserum in illud triste exiliũ, in quo fruitione Divina privabor. * Videam te facie ad faciem, nec me simul perdas cum iniquitatibus meis. * Patiar Domine omnes inferni pœnas; sed hoc unum dona, ne avertas faciem tuam à me, nec projicias me à facie tua.

In eadem materia

Quid oblivio mali? quid memoria pœnarum inferni, boni adferant?

Punctũ primum. MEmorare novissima, præsertim supplicia inferni, & in æternum non peccabis. * Diabolus omnem movet lapidem, ut fenestram inferni claudat; ne illius miseriæ ad aures, ne illud inordinatum

chaos

chaos ad oculos perveniat. * Suadet malignus consiliarius: licitum esse usum bonorum hujus mundi, ut incautos decipiat, malisq; deputet æternis. * Astu suo gustum ad superna aufert, ut infinitis tradat suppliciis. * Quid mærore consumeris, inquit, ubi alii lætos in bonis ducunt dies suos? * quid importunâ afficeris tristitiâ, quæ exsiccat ossa? nunc liberè fruendum voluptatibûs. * Æterna erepturus gaudia; temporalia repræsentat acceptanda. * Plaude nunc & gaude, infinito tandem afficieris mærore. * Depone nunc ab animo inferni lamenta, quæ sine fine patieris. * Si dives Evangelicus ignes inferni vivens cogitasset; æternùm non arsisset. * A verbis disserentium de damnatorum pænis aures obturavit; audiet infelix immensos eorum gemitus. * Svadet *Chrysostomus tom. 1. in Ps. 11.*

rogo, ut gehennæ memineris, de ea loquaris: magna enim eſt horum verborum utilitas. * Cogitatio ſuppliciorum inferni animas à peccando revocat; vanitates & inanes delicias abominabiles reddit; ad veram invitat pænitentiam; metum Divinæ juſtitiæ incutit. *Si non eſt timor inferni ante oculos, cæco more labitur ille in Divinarum legum conculcationem. * Videte flagellum Sodomorum; videte abſorptos diluviô mundi miſerrimè perire, ſuſpicite tormenta, ad quæ Epulo damnatus: diſcite alienô malô, ſapere. * O quàm metuendus eſt locus iſte!

Punctum 2dum. O quàm altè claudebam oculos, ne viderem horrendum omnium ſuppliciorum theatrũ, utq; ſecuriùs DEVM offenderem! * Obturabam aures, ne querulantium dæmonum audirem gemitus, utq;

ſurda aure monita Dei pertranſirē! * Nolui guſtare amaritudinem damnatorum, ut mihi dulciores redderem delicias mundi. * Nolui in memoriam revocare tartareos mærores; ut lætus gauderem cum mundanis. * Nolui intellectu cognoſcere horrenda erebi monſtra, ut non timerem offendere bonum Deum. * Non erat timor Dei ante oculos meos, non conſpexi virgam ferream, quæ me in viam mandatorum ejus reduceret. * Aliena pericula non me docuerunt declinare à malo. * Non movit me conſideratio ſuppliciorum infernalium à conſvetudine peccatorum; quia illa non ruminabam. * Cùm exſtimulabar ad flagitium, non movi digitô flammas tartareas, ut experirer, num toto corpore æternos cruciatus ſuſtinere potero.

Punctum 3tium: Ah me infelicem

ibo ad inferos; panetrabo portas eorum, æternos cruciatus consideratione attingam. * Videbo fornacis infernalis fumum, ut ab oculis lachrymas pænitentiæ eliciat. * Audiam, quomodo minatur Deus impiis, ut ascendat ad cælum deprecatio mea. * Vivens in ardores tartareos me sponte projiciam; ne post mortem nolens & invitus detrahar. *. Ab ignibus æternis ad Dei amorem accendar; experiar eorum cruciatum, ut effugiam. * Ruina impiorum ædificabit mihi palatia cæli. * Timebo nunc infernum, ut post mortem evadam. * Nolo liber esse à gehenna, quàmdiu spiritus in corpore hæret; ut separatus in morte dirigatur ad cælum. * Cruciabor in præsenti vita suppliciîs æternîs, ut consolari merear: alios pro malis, quæ patiar, bona recipere.

PRA-

PRAXIS V.

De terribili Judicii die.

Punctũ imum. Dies ille Judicii, quô universi ſtabimus ante Tribunal Chriſti, recepturi digna meritis præmia, o quàm multum formidandus peccatoribus. * Sine dubio apellandus, dies deſolationis, dies perditionis, calamitatis & miſeriæ. * O diem funeſtam inter cæteros metuendam! de qua *Paulus Ep. ad Hæbr.* 2. *terribilis expectatio judicii eſt.* * Hæc eſt conſtituta ultionis una dies. * Diem tamen ne dixeris, ſed obſcuriſsimam noctem, lumen æternum obtenebrantem. Quæ cùm veniet, nemo poterit in ea bene operari.* *Tunc erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi; ùt ipſa Increata Veritas Matt.* 24. *docet.* qualem nemo vidit,

nemo unquam audivit. * Ibi Judex iratus flammantibûs ſcintillabit oculîs, qualem intuitus erat Joannes *Apoc:* 1. fulminantibûs tonabit verbîs: *ite maledicti in ignem æternum.* * O voces nunquam audiendas! * Timeat diem judicii omnis terra, qui, ùt fur nobis nihil cogitantibûs, veniet, ut fortiùs terreat. * Nemo Judici reſiſtet, nemo placabit. * Ad preces peccatorum Sancti obturabunt aures, quos cùm audire expectabant, non invocaverunt. * Nihil proderunt lacrymæ, nihil lamenta; pænitentia non acceptabitur, promereri non licebit. * Omnis ſpes ſalutis reſciſſa. * Miſericordiæ & gratiæ ampliùs non eſt locus. * Claudetur janua cæli pulſantibus, ut fatuis. * Ignis ante Judicem præcedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus. * Mors ubiq; graſſabitur, omnia miſcebuntur, lapis ſuper

per lapidem non relinquetur. * E-
rumpet justitia Judicis post longam
patientiam vehementi impetu. * Ven-
ti è suis effusi cavernis omnia pro-
strabunt violenter, fluctus in mari
concitabunt, aquas attollent sub con-
cavum lunæ, & rursus in profundum
terribili deprimènt sonitu. * Terra
concutietur motu, montes decident,
tota mundi machina suis cardinibûs
movebitur. * Fulgura & coruscati-
ones, tonitrua & grandines deciden-
tes conturbabunt.* Quæram abdi-
tos recessus, ut me abscondam, non
inveniam. * Vagabor per agros, &
fulmina, & cadentes stellæ capiti su-
pereminebunt. * Ruptarum rimas pe-
trarum ingrediar, absorbebor. * O-
diem funestissimum, diem iræ & vin-
dictæ!

Punctum 2dum: Ergone hæc non
transfixerunt impænitens cor meũ? *
Non

Non juverunt ne tanti terrores, ut comiſsa paveſcerem delicta? * Cur hucusq; adhæſi vanitatibus? * Cur non recogitavi iratum iniquitatibus meis Judicem? * Cur me ab offenſa DEI non revocaverunt ignis æternus, privatio Viſionis DEI, infinita maledictio, judicij terribilis memoria? Res profectò nullis deflenda lachrymîs! Vbi me abſcondam, cùm veniet Judex ad exigendam rationem, & inveniet me peccatîs & vitiîs plenum? * Quem tunc ſum rogaturus Patronum, ut malam cauſam meam defendat? * Quis animam peccatricem tollet è manibus dæmonum, cùm eam rapient ad infernale ſupplicium? * Quomodo impios non percellet fulmen illud ex ore irati Judicis erumpens: *ite maledicti in ignem æternum?* * Cur animô non revolvebam frequenter hanc damna-

tionis terribilem ſententiam, ut malè agere timerem? * O durum & infatuatum cor meum, ſanguineis deplorandum rivîs!

Punctum 3tium: Scio nunc quid faciam, à magiſterio formidandi judicii edoctus. * Aſpernabor vanitatem mundi, cui hucusq; toto corde adhæſeram. * Non expectabo illam noctem tenebrarum, in qua operari & bene mereri non licebit. Nunc clamabo ad tuam miſericordiam dimitte Domine delicta mea. * Nunc plorabo, nunc ingemiſcam, & quamdiu ſol in axe eſt operabor ſalutem meam. * Dicam Deo noli me condemnare: non me demergat tempeſtas valida. * Induam nunc ſaccum pænitentiæ, ut exuam habitus vitiorum. * Aſpergam caput cinere, humoq; affigam, quod olim per ſuperbiam ſupra omnes elevabam. * So-

nabit

nabit in auribus meis vox illa terribilis: timete judicium, *timete eum, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam! Matth.* 10 *v.* 28.

In eadem materia

De stricto examine in Judicio Dei.

Punctū Imum. Constituo me tanquam Reum in conspectu Judicis, supremam & absolutam in me potestatem habentis: & ecce culpâ rubet vultus meus, ideoq; cogito, quid cum me misero fiet? * *Iudex verò vocavit adversùm me tempus. Thren.* 1. *v.* 15. * Interrogat me in multis: cui tempus gratiæ & veniæ, quod jam effluxit, impenderim? * Servitione mundi & diaboli, num obsequio Christi? * libidinine & vanitati, an castæ menti & sanctitati? * Corporine indulgebam, an illud in servitutem redigebam? * accomodabam ne

aures

auresadulatorū populari auræ; an solius Dei quærendæ gloriæ vires consecrarē? * Egine strenuum bellum cum sensuum internorū & externorū exercitu, ut triumpharem: an victus miserè in triumphum cesserim? * frequentaverimne cum ea, quâ congruit dignitate Sacramenta? quærebamne sedulò gratiam Dei? servaverim ne à juventute usq; huc mandata? an verò neglexerim omnia? an sanguinem Christi conculcaverim? an tempus in otio & quærendis voluptatibus consumpserim? * Rursus inquiret de anima, quam creando in corpus infudit: *cujus est hæc Imago? Matth. 22. v. 20.* Servastine immaculatam, sicut es pollicitus in Baptismo, cùm eam originali peccato contaminatam abluerem, ut perpetuò mundam custodires? * Vnde habet tam malam impresſionē? unde

illi hæc peccati ruga? unde deformatio? * *Iudiciū sedit & libri aperti sunt Dan 7. v. 10.* * *Iudicabuntur mortui ex his quæ scripta sunt in libris: Apoc. 20. v. 12.* * Ex illis fastis examinabuntur facta præterita. * Denudabuntur occulta hominis. * Ibi legentur peccata Prælatorum: quomodo gregem sibi creditum custodierint: quomodo animas pravis dogmatibûs, aut malis exemplîs imbuerint: quomodo bona Ecclesiastica in usus profanos, in ambitionem suam administraverint: quomodo in administratione Sacramentorum, celebratione Missarum, incautè, negligenter processerint. * Recitabuntur inde Regum, Principum, Nobilium, Iudicum acta; justosne an iniquos, doctos an ignaros judices constituerint: insolentesne ac superbos aulicos servaverint: populum ne gravarent;

legesne bonas custodirent, an violarent? Civesne & pupillos opprimerent? * Patebunt ex his codicibus neglecta scriptura Dei, tepiditas in erudiendo populo, frigida in docendo charitas, exiguus in castigandis vitiis zelus, Concionatorum, Confessariorum, Doctorum in studiis applicatio nulla, vel modica. * Narrabunt illi fasti, quomodo peccator dona Dei & gratias neglexerit, quomodo se in illicita prostituerit, quomodo vultum suum fucîs & pigmentîs vitiauerit, quomodo proximi animas in periculum peccandi & in perniciem traxerit, quomodo impudicas cogitationes, fraudes & dolos in animo foverit, quomodo superbiæ, luxui, scandalis operam dederit. * Ita est, ita rigorosum Judicium Dei!

Punctum 2dum: o si nosmet ipsos disjudicaremus, non utiq; judicaremur

si nostram viventes strictè examinaremus conscientiam; non utiq; tam terribiliter post mortem examinaremur! * Cur ergo non attendimus testimonia, quæ adversùs perversam vitam nostram adfert conscientia? * Cur non timemus, cùm dæmones accusationes intentant? * Cur non expavescimus: cùm inquit Judex per Prophetam *Ps.* 49. *v.* 21: *Arguam te & statuam contra faciem tuam?* * Cur non verecundamur, cùm ponit Deus iniquitates nostras in conspectu suo? Quare audemus malè progredi, cùm omnes gressus hominis dinumerantur? * quare libros maleactorum nostrorum non sæpiùs volvimus & revolvimus, ut videamus peccata nostra, eaq; pænitentibus lachrymîs deleamus? * Nunquam pessima facta hominis obliterabuntur, non igne absumentur, non in cineres o-

blivionis

blivionis redigentur. * Redibunt in memoriam, describentur in libro minima quæq; evolvetur commentarius in acta totius vitæ humanæ. * Recordamini hæc omnia quæso! * *O lachrymæ! ubi vos subtraxistis? ubi estis fontes lachrymarum? fluite in faciem meam, rigate maxillas meas. Quid faciam cùm venerit judicium? quid respondebo, cùm venerit examen? Væ diei isti, quando malum feci! utinam Sol non luxisset super me! sic Bernardus Serm.* 27. *de modo bene vivendi, se ipsum cum tremore dijudicat & examinât.*

Punctum 3tium: Væ mihi misero, quia peccavi nimis & non examinavi animam meam, ut exanimarem! * Non cogitavi antiquos dies meos, quomodo eos impendi, ut æterno suffundar pudore. * Aliud abhinc ingrediar iter, quô perveniam ad glo-

riam. * Dicam: Pater dimitte peccata mea, & omne debitum reddam tibi de pretio Paſsionis tuæ. * *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ Iſa.* 38 ℣.15. * Flebo amarè, quòd mihi usq; huc dulce fuit ſel draconum. * Inquiram diligenter delicta juventutis meæ, quæ fecerim. * Examinabo omnes horas & momenta, quomodo illa ſervitiis mundi & diaboli impenderim; ut per totam æternitatem non crucier. * Memor ero offenſarum DEI mei, & enumerabo mala animæ meæ, ut deprecer bonitatem ejus. * Perpendam illud ſtrictiſsimum examen in impios vivens, ut moriens, non conturber ſpectrîs meis. * Transferã me per contemplationem ſæpiùs in illum Iudicii locum, conſiderans, quomodo rigidè trutinantur actus vitæ humanæ, quomodo diſcutiuntur juſti-

tiæ noſtræ? * Revertar iterum ad conſiderandam fragilitatem meam, quamdiu in mortali corpore habito, & opponam legem mentis meæ, perverſæ membrorum legi. * Deſcendam ocyùs ad cognitionem delictorum meorum; ut ſecurus ad Tribunal Judicij Divini, ſtrictam redditurus rationem, aſcendam. * Non expectabo ultimum illud momentum, quô apud Cœleſtem Patremfamilias diffamabor: nunc faciam rationem cum malefactis meis. * Non præſtolabor illam terribilem Judicis vocem: *redde rationem villicationis tuæ:* nunc unicè in hoc vires omnes impendam, ut examinem omnia occulta mea, omnia mala mea.

In eadem materia.

De iis, qui ſunt parati ad Judiciũ.

Punctũ imum. PErpendo verba Servatoris noſtri *Matth:* 24. ℣. 44. e-

ſtote parati, quia neſcitis quâ horâ Dominus venturus eſt. * *Quid eſt?* eſtote parati: niſi providete vobis bona opera, quæ vobis Judicis clementiam inflectunt. * *Sic Eccleſiaſticus Cap.* 19. ℣. 19. *ſvadet: ante judicium, para juſtitiam.* * *Chriſtus jam paratus eſt ad Iudicium* 1. *Pet.* 4. ℣. 5. & me Reum imparatum inveniet? O me miſerum fore! * Quid Spiritus Sanctus *Prov.* 28. ℣. 5. loquitur audiamus: *viri mali non cogitant judicium, qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.* * Non meditaris judicium? Ergo vir malus es: animadvertis judicium? ergo inquiris Dominum, & times eum. * Non eſt tam flagitioſus homo, qui in melius vitã non cummutet, cui timor Dei ante oculos eſt. * Ut inſolentem Conſtantii Imperatoris animum Oſius Cordubenſis Præſul ad rationis limitem

revocaret; his audaciam ejus aggressus est verbîs; teste *S. Athanasio Ep. ad Anachoretas*: *Memineris Imperator te mortalem esse: reformida diem judicij.* * Sufficit ad puritatem animæ servandam, aut recuperandam, fulminantem Christi Judicis Vultum, sibi ante oculos proponere. * Legitur disciplina nostra. *Eccl.* 16. *v.* 24. *Fili audi me, & disce disciplinā sensûs.* Idest habe in oculis terribilem judicij diem, & habe eum Pædagogum. * Si hoc non didicisti; nimis ignarus es. * Sic *Origenes hom* 10. *in Num. inquit: omnis, qui se ad sanctimoniam convertit, prospicit judicii diem* * Ad auditum tubæ convocantis ad judicium, muri vitiorum corruunt. * Qui hæc non aprehendit, non est paratus ad adventum Domini.

Punctum 2dum: Iusti quamdiu in corpore habitabant, maximè solliciti

erant de memoria judiciorum Dei: & ego peccator ea cogitare nolui, ut audentiùs pecccarē. * *S. Hieronymus scribens in Matthæū* de se testatur: quòd, quoties illū diē in memoriam revocavit; toties toto corde trepidavit: & ego securus vivere in medio iniquitatū cupiam, nec trepidabo? * Licetsi nihil dignum morte gesseris, time judicii tubam. * Ad piè & sanctè vivendū sonet semper in auribus vox illa: *surgite mortui ad judiciū:* & cur ego hucusq; dormivi & soporatus sum? * Magna hæc est peccati pæna, metū ac memoriam futuri Iudici perdidisse * Ah miserum! ego in id ipsum resolutus sum * Nihil pium hucusq; egi: quia in conspectu meo non fuit judicium Dei. * Obturabam aures ad illas voces: *estote parati, quia prope est Dominus, & prope est dies adventus ejus:* & sic semper imparatus vixi.

Punctum 3tium: Expergiſcor tandem à ſomno peccati: conſtituar animô ante Tribunal Dei. * Audiam libenter vocem illius tubæ: *ſurgite mortuì ad judicium.* * Iam eram in ſepulchro iniquitatum, reſurgam & parabo me ad judicium. * Timeo quidem, quid reſpondebo Deo, cùm quæſierit: vereor, cùm ſurrexerit ad judicandum; ſed nunc malè facta revolvam, dicamq;: *Qui latronem exaudiſti, mihi quoq́ ſpem dediſti..* * Cogitabo ſemper me ante Iudicem ſtare, & Deum non offendam. * Abhinc, quacunq; horâ audiam ſonum tubæ ad judicium convocantis, ero paratus. * Tribue Domine, quod cupio; dona, quod poſtulo; effice, quod non valeo.

PRAXIS VI.

De fructibus Pœnitentiæ

Punctū Imum. QUantum odio sunt Deo impius & impietas ejus, tantum in amore pœnitens & pœnitentia ejus. * Odit Deus iniquitatem, quia infinitè opposita increatæ bonitati. * Diligit pœnitentiam, quia restituit amicitiam collapsam inter Deum & hominem, ac destruit malitiæ regnum. * Si omnes homines essent justi; & unus peccator, benignitas Dei, ne pereat, parata est eum quærere: quod parabolicè exprimitur *Luc.* 15. *v.* 7. de habente oves centum, si unam perdiderit; ideo ibidem additur, quòd *super uno peccatore agente pœnitentiam, ita gaudium erit in cælo; quàm supra nonaginta novem justis.* * Non potest Deus contristari magis, quàm peccatô offensus; non exultat avidiùs; quàm pœnitentiâ placatus. * Vis in plausibus videre cœlum? age pœnitentiam seriam * Ad hanc ad-

hortatur Dominus *Luc.* 3. *v.* 8. *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* * Hi dulces sunt gustui Divino: lætificat enim Deum impius, quando efficitur pius. * Si quando in arbore, quæ designat rationalem hominem *Marci* 8. *v.* 24. ejusmodi fructus non inveniat Dominus, ei maledicit, *ut Marci* 11. quibûs aliàs oblectatur. * Obsistit pænitentia, ne Deus inferat pænas, quas paravit; detinet manum, ne feriat; eripit fulmina, ne evibret; extinguit ignem inferni, ne comburat. * Hunc lachrymarum poculum sitivit in Cruce Dominus: ergo anima Christiana da potum sitienti, & refrigeraberis. * Cecideras? surge ad pænitentiam, veni, nihil in fide hæsitans, sublevabit te dextera Altissimi. * Avertisti faciem à Creatore? ergo convertere ad Dominum, qui tibi inquit: respicias me, & ego te. * Ergone ob-

turabo

turabo aures? * Durum equidem quiddam est pænitentia; est tamen tutissima via, quâ itur ad astra: ut inquit Christus *Matth.* 7. ℣. 13. *Intrate per angustam portam.* * Lata via placet? sed ducit ad interitum. * Agite ergo pænitentiam!

Punctum 2dum. Et quare ego hucusq; cor impænitens in corpore servavi? sciens, quòd Deum offenderim: * quomodo potui lætus vivere, qui Deum contristavi peccatîs meis, & mihi ipsi vitam eripui? * quomodo potui oculos in cælum levare; quod contra me delictîs provocavi? * Non timui hunc, qui & corpus & animam potuit mittere in gehennam, quod hucusq; non fecit. * Quomodo potui siccîs oculîs aspicere turpitudinem meam, quam hucusq; non purificavi? * Non propinavi poculum pænitentium lachrymarum, quem bonus

JESUS

IESVS expetiit. * Non audiuntur lamenta mea, quæ cœlum oblectant. * Non pulsavi januam cæli tunsionibûs Publicani: timendum ne claudatur! * Risi, ùt amens, ubi deflenda erant scelera. * Securus incedebam, & sub pedibus infernus hiabat, ut me absorberet. * Non cogitavi spontaneos edere fructus pænitentiæ; sed resolvi me, ut æternam agerem in inferno. * O amentiam!

Punctum 3tium. Ego sum illa arbor maledictioni obnoxia, qui nullos fructus feci in tempore oportuno. * Timeo vocem illam cælestis Patris familias: excindatur & in ignem infernalem mittatur. * Ego sum ille filius prodigus, qui portionem substantiæ cælestis, quam accepi, petulanter vivendo perdidi. *Luc.* 15. * Ego, quem tenebat gratia Dei, illi me violenter eripui, ut corruerem. * Ego

me

me ſponte vulneravi, neq; medicamentum plagis meis quæſivi. * Quis me ſanabit ? quis medebitur infirmitatibus meis ? * Ibo jam cum pænitente Magdalena ad pedes Domini, qui malè ambulaveram. * Purificabo maculas animæ meæ, dolentibus lachrymîs. * Dicam pulſanti ad cor: intra in cubiculum tuum: redintegra violatam per me charitatem: cæna mecum, ut me cibes gratiâ. * Abſtergis Domine lachrymas ab oculis Sanctorum: recipe & meas, quas affundo. * Eſuris Domine? pono tibi fercula pænitentiæ meæ: tibi enim cibus eſt dulciſsimus perditorum converſio. * Sitis? bibe lachrymarum fontem, quem à Samaritana peccatrice optaveras. *. Volo reparare ruinas, quas feci peccando.

In eadem materia.

De non procrastinanda Pænitentia

Punctũ imum. QVare differs pœnitentiam ad tempus, quod forsan non videbis? * Illud tempus, quod tibi promittis, non est tuum. * Non habet homo unum diem certum; & cur ad septimanam, ad mensem, ad annum, ad mortem differt pænitentiam? * Quod differs in crastinum, hodie lucrare. * Cras fortè exigetur à te ratio præcedentis vitæ ad bene agendum misericorditer concessæ: Ergo hodie bene operare: hodie surge, hodie propera, hodie convertere ad Dominũ Deum tuum. * Nôsti? *Pater posuit tempora in potestate sua Act.* 1. *v.* 7. non in tua. * Multa sunt, quæ velocem svadent pænitentiam * Tempus inquit: hodie me bene utaris: cras non est tuum. * Vita brevis:

quæ

quæ eſt vapor, ad modicũ parens ait: cras non vives: hodie facias lucra. * Conſcientia malam vitam arguit: quomodo hoc interius tormentum ſuſtinebis? Infernus clamat: os meum aperio, ut devorem animam peccatoris: nonne obturabis quantocyus fauces ejus operibûs pænitentiæ? * Inſtat Angelus cuſtos: age pænitentiam: & non audiam vocem ejus? * Iudex juſtus, decernit: væ vobis, qui non agitis pænitentiam in tempore veſtro! & non compungor corde? * Beati certificant: nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum: & ego in cæno ſicut porcus deliteſco? * Chriſtus præmonet: *eſtote parati; quia qua horâ non putatis filius hominis veniet:* & ego adhuc diſtero? Bene *Gregorius hom.* 12. *in Matth.* 26. *Qui pænitenti veniam ſpopondit, quacunq; horâ ingemuerit, diem craſtinum non promiſit.* *

misit * Rē perdis pretiosam? & instanter quæris, accendis lucernam: quid pretiosius gratiâ Dei, quam per peccatum amisisti: & hodie non quæris? * Si tibi donô amplissima offertur hæreditas: quas non impendis vires, ut eâ tanto celeriùs possideas: donat Dominus regnū cælorum, aitq; accipite paratū vobis: & non propero illud accipere? * Invitat te insignis amicus; & omni cum celeritate ad salutandum properas: vocat Deus: venite ad me omnes; jam non dicam vos servos, sed amicos: & nihil me movent verba Ejus? * *Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum! Ps.* 49. *v.* 22.

Punctum 2dum. Infelicem hominem! sic sibi persvasum, acsi mille annos, quos nullus, aut centum, vel octoginta, quos pauci meruêre senes, esset victurus. * Augetur ætas, minuitur vita: *si quid cui adjicitur vitæ*

temporalis

temporalis, non ad hoc accedit, ut maneat; sed in hoc transit, ut pereat: inquit Ambr. Cap. 2. de vocat. Gent. Cap. 8. * Appropinquabat dies ultimus, & ego hoc ipsum considerabam; & tamen miser elongavi me ab agenda pœnitentia. * Vocabant me frequentes morbi, corporis debilitas, ut consulerem citò conscientiæ meæ; & ego fortiter obturabam aures meas, ne audirem. * Svadebat ratio, non esse omittendam bonam occasionem, cùm adhuc lux diei radiat; & ego expectabam noctem, in qua operari non licebit. * Convincebant me exempla insperatæ mortis, & nihil me moverunt, promittebam mihi, nescio quā securitatem in morte. * Perverti legem, dum rationem appetitui subjeci: illam contempsi, huic obtemperavi, non prævidens finem meum * Vulnera mea medicum vocabant, sed

quia

quia occulta erant, ea propalare recusavi, ut mihi periculosiorem causarem mortem. * Nolui quærere remedium pœnitentiæ, ut morbos animæ, qui sunt longè periculosiores, quàm corporis, totaliter sanarem. * Hæc omnia feci; quia amavi vanitatem mundi.

Punctum 3tium. Quid feci miser? miser factus sum & non sensi miseriam meam? * Excæcavit me exteriori specie sua mundus; ut non viderem lumen veritatis. * Iam aperiam oculos meos, ut cognoscam mendacia & fascina ejus. * Ille mihi repræsentare non desinit delectabilia; ut auferat cælestia: nunc arbitrabor hæc, ùt stercora, ut Christum lucrifaciam. * Titillabat animum meum nobilitate generis, & suscepit malus ager, malum semen: dicam modò putredini: *Pater meus es: mater mea vermibus.*

Iob. 17. Nobilitas mea erit juramentum virtutis perpetuò continuandæ. * Invitabat me illustribus honorum titulîs; & adhæsi, sicut puer equo arundineo, prætuli umbram veritati. * Iam, jam; quæ sursum sunt, sapiam; non quæ super terram: serviam Deo: nam *nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum Ps.* 138. *v.* 17. * Alliciebat divitiîs & pretiosis vestibûs, proponebatq; gaudia; nec rejeci: induebar byssô & purpurâ, epulabar quotidie splendidè, risi cum vanitatibus * Quæram abhinc thesauros indeficientes in cælo; beatus enim, qui post aurum non abiit. * Non gloriabor in vestitu molli; nudum in cruce Regem omnium filiorum pulcherrimum, contemplabor: risum reputabo errorem, dicamq; gaudio quid frustra deciperis. * Contemnam omnia & celerem agam pæ-

nitentiam: Fugiam de medio Babylonis: non tardabo converti ad Dominum, nec differam de die in diem.

In eadem materia

De Pœnitentia in morte.

Punctũ Imum. QUis est ille ? qui post multas periculosas navigationes, in portu felix esse non exoptaret ? quis pateretur eripi sibi è manibus victoriam, cùm jam ad finem inclinat pugna ? quis in occasu funesto clarum odit meridiem ? Ille duntaxat lætum celeusma canit, qui in portu prosper steterit: ille victor reputatur, qui ultimo præliô hostem prostravit. * Et quare, quis non toto desideriô anhelaret in morte sanctus esse ? de diabolo, cum quo militia erat continua, triumphare ? * Proculdubio nemo est, qui id non cupiat; sed non omnes assequuntur. * Quomodo

enim sufficient vincere Sathanam, cùm jam infirmi facti sunt: contra quem, dum integris viribûs erant, nullum peregerunt conflictum? * Cùm quis circumdatus fuerit doloribûs; cùm contremiscet mortis horrore: quomodo poterit recolligere robur animi ad placandum Deum? Quomodò in ultimo puncto appropinquabunt Deo, qui toto vitæ suæ tractu se se ab eo elongabant? * Convertere insipiens ad Deum tempore accepto, tempore quô sanus es, tempore salutis, quô poteris promereri vitam æternam. * In morte dolores te oppriment velut diluvia aquarum multarum; objecta speculari perfectè non poteris conturbatus tristitiâ mortis; ideo facilè decipieris. * Obfuscabunt rationem imminens judicium Dei, pænæ inferni: non intelliges. * Non dabitur tibi tunc converti ad Deum, à quo in sanitate aversus

versus fuisti. * Quatient te vehementiores tentationum fluctus; quomodo illis infirmus resistes? * Quod in vita præterita non didicisti, nec usum habuisti; quomodò morte gravatus portabis? * Præcedentia facta tua, aut tibi præsumptionem de Dei misericordia, aut desperationem de rigorosa justitia ingerent; & miserè peristi. * Inquit Vates *Psal: 6. v. 6. Non est in morte, qui memor sit tui*: & tu tibi præsumptuosè id promittis, cujus vivens non recordabaris?

Punctum 2dum: Ita ego persvasus fui apud me; quòd in fine vitæ pænitentiã agam, ùt bonus Latro; minimè recordatus, quòd alter obduratus periit. * Quis divitias in mari quærit, dum mare horrendis fluctibûs spumat? ego tamen idem omnino facturum me prosperè spero; quando mor bi vi invalescente, diabolô instante,

conſcientia remordente, inferno fau-ces aperiente, Judice iraſcente grati-am & miſericordiam præſtolor. * Dum favet aura, exercenda eſt captura pi-ſcium; dum ſuperſunt vires, tunc for-titer dimicandum; dum ſol præſens eſt in axe, tunc iter faciendum. * Tarda eſt è profundo maris fuga; dum quis jam fluctibûs obruitur. * *Hoſtiam viventem*, ideſt quamdiu fa-vet vigor membrorum, *ut exhibeamus corpora noſtra Deo*, obſecrat Paulus *Rom.* 12. *v.* 1. nam illa mortua eſt, cùm effæti multa ætate artus offerun-tur. * Ego autem, dum incolumis vixi, mortuus eram Deo: dum tem-pus habui, non ſum operatus bonum. Et qua fronte ſperabo, dum ampli-ùs tempus non erit, veram agere pæ-nitentiam? * Expendi annorum præ-cedentium dies in peccando, reme-dia gratiarum Divinarum verti in au-

gmentum

gmentum culpæ, & quibûs intersi-
cere in me debebam peccatum; vivifi.
cavi: gladium, quô me defendere te-
nebar, in mea viscera converti.

Punctum 3tiũ: O me hominum stul-
tiorem! qui sæpiùs admonitus acqui-
escere nolui. * Fugere cupio in morte
peccata? & me jam peccata deserunt;
jam motus animi & corporis cessat.*
Rejicit DEVS à suo sacrificio *Lev:*
11. *v.* 18. cygnum, qui solùm in mor-
te cantat: reprobabit eos, qui florem
ætatis vanitati consecrant, canticum
verò Dei, seu gemitus pænitentiæ ad
mortem rejiciunt. * Ergo cantabo
Domino canticum gemituum inenar-
rabilium, priusquam mors tripudia a-
get. * Dabo gloriam Deo, antequam
contenebrescet, suasu. *Ieremiæ Cap.*
13. *v.* 16. * Non expectabo caliginem
mortis, in qua proficisci in virtute
non licet. * Non expectabo ultimam

vitæ horam; quia Dominus horâ 12. neminem ad vineam invitavit *Matt.* 20. * Offert mihi DEVS aurum; non dicam illi, cras veniam & accipiam: offert mihi salutem animæ, festinabo. * Distribuam omnia vitæ meæ momenta pro agenda pænitentia, ne me ultimùm decipiat. * Vivam Deo totus, sæculo nihil; ut lætus moriar. * Si sine fructibus bonorum operum inutilis arbor, hucusq; terram occupaverim, sustine Domine misericorditer: germinabo liberaliùs. * Vereor ultimum periculum; ideo à primo manè, quod intellectum meum illuminavit, non odero lucem, ne in occasu ad tenebras damner. *
Ego Domine sincerè propono;
Tu Domine gratiâ cælesti
confirma.

PRA-

PRAXES
Pro ſecundo biduo in Via Illuminativa.
PRAXIS I.
De Beneficiis DEI, ex quibus eſt cognoſcendus.

Punctũ primum: MUlta ſunt, quæ nos ducunt in cognitionem Dei.* Inquit terra: ego ſum Dei ſcabellum: maria & flumina dicunt: egreſſa ſumus de fonte omnium rerum: ignis, grando, nix, glacies benedicunt Domino, & faciunt verbum ejus: in ſole Deus ſe depinxit & tabernaculum ſuum in eo poſuit: Cæli & luminaria eorum, lux & tenebræ obſequuntur Conditori ſuo. * Vecordes non immeritò illos vocavit Cicero de Repub. Aruſpicum, qui conſpecto cæ-

lô non nossent Deos; acsi à Davide didicisset: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Ps. 18. ℣. 1.* * Cytharam cùm conspexeris, aut statuam, aut librum literis & imaginibûs plenum si revolveris? non eris sic insipiens, ut non cogites de cytharædo, aut statuario artifice: non eris ita puer, ut solùm folia libri revolvas, imaginibûs oblecteris, nisi grandia ex libro mysteria discas. * Totus mundus elegantissima est cythara, summa arte & ordine composita; sed non sine suo cytharædo.* Statua est admirandi artificii, sed non sine fabro; liber est, cujus imagines, rationales creaturæ; cæteræ, sunt literæ: ergo ex eo legere & mira percipere possum, si non sum infans, de Creatore: ille prædicat gloriam Dei & augustissimam illius majestatem, ut inquit *S. Basilus*

in Hexameron. * Nihil tamen efficacius ad cognoſcendum DEVM credo, quàm ſi cogitavero beneficia ejus,* Fecit me non lapidem, non brutum, ſed hominem, id quod non promerui: cùm ante aliquot annorum ſpatium nihil omnino fuerim. * Produxit me ſecundùm corpus eximiam creaturam, omnibus membrîs dotatam; ſed ſecundùm animam, longè excellentiorem, pauló minùs ab Angelis minoratam: Imagine ſua Divina inſignem, rationis participem, ad beatitudinem æternam, ordinatam. * Profectò res magna eſt homo, mirabile inter ſpiritum & corpus vinculum habens; cujus incomprehenſibile artificium, ſapientiam Conditoris enuntiat. * Dedit homini non hoc ſolum, ut eſſet; ſed etiam ut ſubſiſteret, in cujus commodum & obſequium omnes creaturas ordinavit. * Crevit

vit cælos & elementa, ut mihi essent in signa & tempora, in annos & dies. * Custodivit me à juventute mea, & enutrivit me: lactavit me, confortavit me, conservavit me. * Quia tamen omnia ista & his alia longè plura, quasi nihil Deum constabant, parum mihi se dedisse existimavit; multò majora donavit. * Dedit mihi gratìs, pro redimendo me à servitute diaboli, pretiũ sanguinis sui. * Morte sua vivificavit me mortuum; plagîs suis vulnera animæ meæ sanavit; univit me sibi, & factus est mecum caro una; fecit me secum spiritum unum.* Si parva hæc sunt, adjecit majora: quoties me absorbebat draco magnus; ex faucibus ejus extraxit me & à devorando defendit. * Cùm mandata Dei transgrediebar, rapiebat me secum ad infernum; ille prohibebat & eripiebat. * Vnde hoc mihi bone Deus ut me sic

dilige-

diligeres & tam multis beneficiîs cumu lares? nisi ut cognoscerem te DEVM Conditoré meum, Patrem meũ, Con servatorem meũ, Redemptorem meũ, Imaginem meã, Benefactorem meũ.

Punctum 2dum. Et quare ego sic insipiens fui; ut te tam bonum, tam beneficum Dominum non cognoscerem? * Tu mihi esse dedisti & ego illud dæmoni consecravi, ut necessariò essem illius, non tuus. * Tu me enutrivisti, & ego te sprevi. * Tu mihi lumen oculorum dedisti, & ego despexi te, respiciens ad creaturas. * Pedes meos ad rectè ambulandum efformasti; & ego per invia & obliqua incedens, viam mandatorum tuorum non cucurri. * Dedisti aures, ut audirẽ verba & monita tua, & ego ad omnia surdus fui. * Manus meas extendi ad malum, quibûs debui operari bonũ. * Cor meum ad amorem mundi converti

verti; cùm te ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus debui amare. * Caput, quod ad cœlum erexiſti; ad terrena inclinavi. * Imaginem tuam, quam mihi impreſsiſti, deformavi. * Totum me vanitati & mundo conceſsi, acſi ille eſset meus creator, conſervator, redemptor, glorificator. * Omnibus beneficiîs, quæ à Te accepi, contra Te uſus ſum; medicamenta tua, venenum mihi feci, quô me interficerem; gratias Tuas in odium converti. * O plusquàm belluinam ingratitudinem meam! * Bruta cognoſcunt parentes ſuos, quòd ea genuerint, lactaverint, educaverint: & ego te non cognoſco, qui mihi idem & his longè præſtantiora præſtitiſti! * O me nomine hominis indignum!

Punctum 3tium: Quid jam miſer ſum facturus? * Tu me Domine cuſtodiebas, ne perirem, & ego quære-

bam

bam vias, quibûs à te fugerem: jam abhinc ſub tuo præſidio fideliter permanebo! * Ego à Te recedebam, ut te totaliter relinquerem; Tu ad me accedebas, ut me comprehenderes: jam ſemper in Tuo conſpectu ſtabo! * Cùm me ſponte venderem inimico tuo; Tu me redimebas: ergo perenne mancipium tibi ero! * Properavi ad portas inferni, & retinuiſti me, ne illuc caderem: progrediar nunc ad Te, ut me ad ſuperna levare poſsim. * Inter tot vitæ meæ pericula egiſti, ut mihi nihil mali accideret: ideo in omni diſcrimine ad te vigilabo, Te invocabo.* A morte me non ſemel eripuiſti, ſciviſti enim ſtatum meum, in quo ſi conſumptus fuiſſem, infernus me abſorbuiſſet: nunc Tibi ſoli ſemper vivam.* Cognoſco Te Domine lumen æternũ ex beneficiis, quia illuminaſti me Domine lumen oculorum meorum, lux

animæ meæ. * Totus abhinc spiritus meus, totum cor, totum corpus, tota anima mea, Tibi soli Benefactori suo, Conditori suo vivet, ut Te totũ possideat. * Diligam Te Domine virtus mea.* Restaurabo imaginem tuam, quam ego peccatîs meis deformavi. * Instilla Domine in aurem cordis mei verba Tua, doce me, & laudabo Te. * Aperi os meum & da vocem laudis, & enarrabo beneficia Tua. * Dona intellectum & cognoscam Benefactorem meum.

In eadem materia

Quòd DEUS in omnes Beneficus.

unctū *mum.* DEUS in benefaciendo non more hominum agit, qui cùm nonnullos locupletant, cæteros despiciunt: ille & omnibus benefacere potens est, & nullum vult despicere. * Solis hujus radii in omnes

gentes

gentes, in omnes terras sparguntur.* Lumen hoc inextinguibile propter omnes ponitur in candelabro, lucet bonis, non absconditur sub modio malis. * Sanctissima hæc terra omnibus fœcunda, omnes pascit & ditat. * Hæc salutaris aqua omnibus communis, cunctis sponte fluit, & gratis acquiritur, æquè in divites ac pauperes profusissima. * Replevit DEVS mare piscibûs & flumina, arbores fructibûs, terram frumentîs, montes aurô & pretiosis lapidibûs, àërem volatilibus: ut omnes reficeret, omnes vestiret, omnes ditaret. * Providet Judæis in eremo, quid manducent, quidq; bibant, & quô à serpentibus læsi sanentur. * Non arcet à suis gratiis ethnicos & hæreticos. * Regnat cum Regibus, pugnat cum militibus, navigat cum nautis, currit cum viatoribus. * Justos custodit, à peccatoribus

ſe non elongat. * Infirmis medicina, peregrinis baculus, ſitientibus potus, eſurientibus panis, omnibus omnia. * Infantes lactat, ſenes corroborat; cum laborantibus laborat; maxima fovet, minima non prætérit.* Æterna cunctis promittit, temporalia nemini negat, in omnes pius, in omnes bonus Dominus!

Punctũ 2dum: Sic DEVS beneficus; dignus eſt, ut ſimus gratiſsimi beneficiorum ejus: & quare fontem, quem haurimus, non coronamus? * Aluit nos per multos annos, veſtivit, honoravit, dotibûs variis cumulavit, & in libertatem dimiſit, cùm arbitrio proprio reliquit: & quare non redimus ad DEVM, non gratificamur Benefactori? * Hoc ſole increato quotidie incaleſcimus; in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus: & cur inſtar putridi fimi fœtore peſsimæ vi-

tæ Cælum replemus; aut venenoſos gignimus ſcelerum ſerpentes? * Accipimus ab arbore manubria,& nos eam ſecuri proſternimus: vitam & cibum dat tineis purpura; & eam rodunt ac deſtruunt: viperinum genus ſumus, qui matrem noſtram, quæ nos gignit, Patrem noſtrum, qui nos nutrit, dentibus laceramus. * Elevat nos ſol iſte in altum, & nos eum obſcuramus; accipimus ab eo lumen, & eum ecclypſamus; habemus ab eo fœcunditatem; & reddimus illi bonorum operum ſterilitatem: cornua in eum vibramus, ferire cupimus, & non raró Deicidium committimus.* Dedit vineæ uvas; illa refert labruſcas: ditavit nos auró; nos ipſi ſcoriam offerimus: vultui pulchritudinem adjecit, nos turpitudinem animæ non abhorremus. * De manu larga Dei accepimus omnia, &

hoc non confitemur, & in Benefactorem nostrum graviter peccamus.

Punctum tertium Laudate Dominum omnes gentes, & omnes populi, quoniam bonus, quoniam misericors: neminem despicit, omnibus beneficè prospicit. * Non ponamus mala pro bonis: bonitati malitiam, dilectioni odia, gratiis maleficia non retribuamus. * Enutrivit nos DEVS, non spernamus eum. * *Cognovit bos possessorem suum Isa:* 1. *v.* 3. ergo non fiamus bestiis terræ magìs irrationales. * Hoc à nobis Deus requirit *Isa.* 43. *v.* 26. *Reduc me in memoriam*; ergo illius non obliviscamur. * Non porrigamus Christo fel pro dulcedine, quâ nos pavit. * Ille nos constituit in villis, in Civitatibus, in Regnìs Principes; non ejiciamus eum extra civitatem. * Mundat

nos

nos à lepra in Baptiſmo, in Sacramento Pænitentiæ; offeramus ei digna munera. * Recordamini bonorum, quæ fecit vobis, & non reddamus ei mala, quæ patramus. * Revertar ad eũ Conditorẽ cum laudibus, à quo exivi; reſplendebo, ùt ignis, pro eſca quâ me nutrivit; habebo Arcam ante oculos per quam ſalvatus ſum à diluvio inferni. * Quid adhuc *retribuam Domino pro omnibus, quæ tribuit mihi? Ps.* 115. amorem perpetuum, pænitentiam ſeriam, obſervationem mandatorum.

In eadem materia

Quòd DEUS parva magnis beneficiîs compenſat.

Punctũ 1mum: NOn ſufficit Deo, eſſe in benefaciendo profuſiſsimum; ſed præterea vult minima maximis beneficiîs compenſare. * De-

us nihil sibi reservavit tale, quod non homini donaverit. * Cælum habet Deus; sed & hoc meum fecit, cùm jusserit, ut serviret vitæ meæ suis influentiîs. * Terram scabellum pedum suorum dedit filiis hominum; ut eos enutriret, vestiret, & omnia commoda proferret. * Solem & stellas cunctis gentibus ad ministerium creavit. * Se ipsum habet Deus non sibi duntaxat; quando hominem ad se possidendum creavit, vocavit, glorificavit. * In hoc quoq; abundantissima bonitas Dei erga genus humanum; quòd minima nostra obsequia & opera maximis compensat beneficiîs. * Id ipsum attestatur Apostolus 2. *Cor.* 4. *v.* 17. inquiens: *momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* * Exiguos suffero vivens labores, pro quibus amplissima illa præparatur gloria,

quàm

quam nec oculus videre, nec lingua explicare, nec mens cognitione comprehendere sufficit, nec deniq; in cor hominis illud præmium ascendere potest, juxta Paulum 1. *Cor.* 9. *v.* 30. * Quendam tulerunt laborem Israëlitæ in ferendis lateribus & luto *Exodi* 5. sed in vicem auri, argenti & farinæ Deus copiam dedit. * Prolixa est in retribuendo Divina manus, stipulam & paleas aurô compensat; prout apud Isaiam *cap.* 60. *v.* 17. loquitur ipsemet *Pro ære afferram aurum, pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs.* * Quid est hoc? nisi parva magnîs compensabo.

Punctũ 2dum. Et quare non damus Deo parva, ut accipiamus magna? * Cunctamur dare pauperi obolum, & ideo non accipimus regnum: ipsi nos seducimus. * Quàm ardua pro mundo toleramus, qui nobis pro auro scoriam

riam offert, rebûs fluxis & corruptibilibus oblectat: pro Deo minima ferre recuſamus, quæ nobis, magna gloriâ compenſat. * Bonus IESVS ſvave jugum & onus leve commendat; ut nos vocet in libertatem filiorum Dei, & colla ſubducimus. * Hoc, quod facilè perit, difficili comparatur labore, cum timore poſsidetur, & ſine requie tenetur: illud, quod æternum eſt & optimum, parvo periculô, exigua fatigatione non inveſtigatur. * O inſanas hominum mentes!

Punctũ 3tium Quare hucuſq; multas impendi curas, ut me enervarem, ac admodùm araneæ muſcam in præmium acciperem? * Cur cum tanta ſolicitudine eviſceravi me, ut modicum gloriæ vanæ, inanis vaporis in mundo obtinerem? * Quare malui ſervitutem diaboli tolerare, quàm in libertatem filiorum Dei exire? *

Quæſivi bona in ipſa malitia; quietẽ in medio confuſionis & alterationis; dulcedinem in amaris aquis: o quàm erravi nimis! * Revertar nunc ad ſanum ſenſum, quem ſponte amiſeram: ibo ad munificentiſsimum Remuneratorem exiguæ patientiæ meæ, quem deſerui. * Non recuſabo tenui palliolô operire nudum, & dabit mihi Dominus veſtimentũ æternæ gloriæ.* Dabo ſitienti poculum aquæ frigidæ; & refundet mihi fontem patentem & exundantem, quem cùm bibero non ſitiam in æternum. * Dabo terræ particulam indigenti, & vaſtiſsimum accipiam cælum. * Sacrabo Domino exiguo vitæ meæ tempore tolerandos labores; & retribuet mihi tota beata æternitate duraturam requiem. * Adjuva Deus bone imbecilitatem meam!

PRAXIS II.

De Humilitate.

Quòd illa sit gradus ad cælum.

Punctū imum. OPtas ascendere supra te in cælum? descende ad terram usq; , & humilia te, infra te. * Dicit Veritas *Lucæ* 14. *v.* 11. *qui se humiliat exaltabitur* : acsi diceret: hoc gradu conscenditur cælum. * Potentissima est vis humilitatis, eos attollit, qui eam sectantur; deprimit, qui eam contemnunt. * Ille, qui descendit priùs, ipse est, qui postea ascendit. * Tantùm elevatur fons in altum, quantum scaturigo ipsius deprimitur. * De torrente in via bibes, propterea exaltabis caput. * *Magnus esse vis? à minimo incipe: cogitas magnam fabricam celsitudinis construere? pone priùs fundamen-*

damen-

mentum humilitatis: ſuadet Aug. ſerm. 10. *de Ver. Dom.* * Qui ſe ſubijciunt ſicut pulvis & atomus, à ſole in ſublime trahuntur. * Deus ſemper ex minoribus majores facit: & qui vult fieri major in regno cælorum, fiat in mundo ſicut parvulus. * Qui ſe per humilitatem ſub pedibus collocant, deſcendit ad eos DEVS & ſupra cælos elevat, *qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia* 1. *Cor.* 1. *v.* 27. * Sponſa, quæ eſt anima, priùs ſe fatetur nigram *Cant.* 1. *v.* 4. ideſt viliſsimam ob humilitatem, poſtea formoſam per gloriam & gratiam. * In ſtatera Divinæ juſtitiæ decretum eſt, ut una parte depreſsa in præſenti vita, altera in futuro elevetur in gloria: & quantùm cor inclinabatur ad ima per ſui contemptum, tantum proficiat in excelſo. * Non eſt alia è terris via ad aſtra, quàm humilitas.

Punctum 2dum Et quare me efferebat ſuperbia, ut graviùs in infernum caderem? * *Chriſtus humiliavit ſemetipſum usq́ ad mortem*, qui eſt Deus altiſsimus: ego viliſsimus vermiculus tota vitâ me in altum proveho. * *IESVS eſt oſtium. Ioan.* 10. *v.* 1. quare volo aſcendere, non intrare? cùm dicente *Auguſtino in Pſ.* 95 *qui intrat recipitur; qui aſcendit præcipitatur.* * Cur è mea putredine naſcitur vermis ſuperbiæ, qui totam & veram gloriam meam depaſcat? * Cur neminem magnum, neminem eruditum, neminẽ perfectum arbitror, niſi me ipſum? * Cur apud me nemo facundus, nemo ſapiens, nemo bonus conſiliarius, nemo bene dirigit, nemò bene providet, niſi ego? * Omnia mihi deſunt, qui nihil mihi deeſſe puto. * Mirabiles cordis mei elationes à centro ſuæ nihileitatis ſupra omne

ſummum

summũ librantur, ut decidant! * Non inveniet homo superbiens cælũ quod sperat; quia sathanas, per superbiam illud perdidit, quamvis possidebat.

Punctum 3tium. Cave o homo superbiam: quia Deus ex majoribus semper facit minores; *qui enim se exaltat, humiliabitur. Matth.* 23, * Serpam per terras, ut humiles miricæ, & fulmine non dejiciar in profundum inferni.* Dicam: pulvis sum & cinis, ut luceam sicut stella. * Incedam per vallem, per tenuẽ humilitatis semitam, ut in studio cælesti magnos faciam progressus. * Pedibus Domini oscula tribuam, ut merear à pedibus ad caput assurgere.* In novissimo recumbã loco, ut merear hanc vocem audire: *amice ascende superiùs Luc.* 14. * Ero parvus in oculis meis, ut fiam magnus in oculis Dei. * Cogitabo hoc perpetuò, quòd Iustus Deus & superbos deserit, qui sic re-

licti, ascendere in gloria cælesti non possunt. * Agnoscam vilitatem meam humiliter, ut me hæc virtus in cælum erigat.

In eadem materia

Humilitas omnes custodit virtutes.

Punctū imum. HÆc est humilitatis laus à *S. Ildephonso serm. 3. de Assump. B. M. V.* annotata, quòd *sit custos omnium virtutum*, quæ facilè dilabuntur; si pretium earum hæc non servet. * Et sicut juxta *Ecclesiasticū cap. 10. v. 15. initium omnis peccati superbia*; ita omnis virtutis conservatrix & custos est humilitas.* Illa scala Jacob pertingens à terra usq; ad cælum *Gen. 28. v. 12* via est nostra ad beatitudinem, tot gradibûs constans, quot virtutibus: primus tamen humilitas vocatur; quem si ante omnes non ascenderis, alterum, nec reliquos attinges

tinges

ges.* Ab infimo incipe, ut ad summum pervenias. * In statua Nabuchodonosoris *Dan.* 2. æs, argentum & aurum pretiosa metalla, contrita sunt pariter, & in auram abierunt, quia fundamentum non habebat solidum: integerrima virtutum corruet moles: si basim humilitas firmam non dederit ex se. * Clariùs id ipsum exprimit *Aureus Doctor Chrysostomus hom.* 4. *in Matth. Fundamentum Christianæ Philosophiæ est humilitas: unde sive jejuniũ; sive orationẽ, sive eleemosynam, sive continentiã, sive quid quid boni congregaveris, omnia pereunt.* * Non cohærent sibi mutuò virtutes, si catenâ humilis de se opinionis minimè connectantur: hoc viscô solùm tenentur.

Punctum 2dum. Non habes o! homo mortalis unde superbias, & multa sunt, quæ tibi humilitatem ingerunt.*

runt. * Cogita, quomodo conceptus es in iniquitate, natus ad miseriam, vivis ad pænam & anxietatem. * Cogita, quòd sis pulvis & cinis & in pulverem ibis. * Cogita, quòd te culices, ranunculæ, aliiq; viles vermiculi exagitant: quid ergo homine abjectiùs? * Non reputa te esse sanctum ac devotum, non narra bona opera tua, quamvis ea verè exerceas; alioquin perdes, quæ duntaxat per contemptum sui custodiuntur. * Superbi Pharisæi decimæ, quas fideliter extradebat, jejunia, quibûs corpus angebat, nemini quidquam rapiebat, justè judicabat: hæ inquam ejus virtutes cum sonitu evanuerunt, quia ipsis una humilitas defuit. * Omnium vitiorum radix superbia, omnium virttutum principium humilitas. * Stude fieri parvulus, vivesq; securior: stude fieri magnifica perfectionum Christianarũ statua, basi

humi-

humilitatis innixa, & non corrues. * Bene, virtutum cinerem dixerim humilitatem, sub qua ardor earum conservatur, sine ea frigescunt.

Punctum 3tium. Cur igitur ego non habeo virtutum copiam? quia deest earum viscus humilitas, cui adhæreant. * Cur veluti vana & inanis palea evolo in altum ridendus? quia nolo esse parvum & plenum granum cadens in terram. * Ædifico super arenam sicut superbi, non supra petram, sicut humiles; & ideo non est stabile spiritualis perfectionis ædificium. * Agam igitur, ut me contemnam. * Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. * Descendam intra me, peccata mea narrabo; ut justificatus abeam, sicut Publicanus. * Ne pulverem in vento portare videar, non congregabo alias virtutes, sine modica de me existimatione. * Decrescam in corde meo,

ut in me major perfectio crescat. * Non exponam ambitiosè in publico thesaurum rectefactorum; ne fur diabolus expilet omnem pretiosam substantiam. * Vt fiam arbor bona fructuum bonorum operum plena; figam priùs radices in terra. * Sapiam meliùs abhinc, sed caput virtutum integrè servabo, à quo in cætera membra derivantur, sive bona, sive mala.

In eadem materia·

Quod humiles magnificantur apud DEUM.

Punctũ imum. Sit sanè, quòd humiles contemnuntur à mundo: dum à Deo glorificantur. * gloriam mundanam vanam & mutabilem præcedit superbia, veram gloriam cælestem, humilitas. * Cùm Saul parvulus factus est in oculis suis, factus est Rex in tribubus Israël 1. *Reg.* 15. per superbiam

biam autem excidit & reprobatus eſt. * Sententia Salvatoris eſt: *qui ſe humiliat exaltabitur. Luc.* 14. * Ad auguſtale regni cæleſtis non niſi per anguſtam intratur portam, in quod non intrabit, niſi ſe priùs humiliaverit. * Hanc virtutem, magnopere Chriſtus commendat, atq; erga humiles magìs afficitur. * Indignum ſe faſſus eſt Chriſti conſortiô Petrus, & factus eſt Apoſtolorum Princeps; corrigiam calceamentorum Domini non auſus eſt attingere Ioannes; quô tamen nemo major ſurrexit; minimum ſe Apoſtolorum imò nomine Apoſtoli indignum ſentiebat Paulus, & factus eſt Doctor gentium, vas electum, portitor Nominis JESU. * Capharnaitarum ſuperbiam quondam gravisſimis verbîs arguebat Dominus *Matth.* 11. *v.* 23. *Et tu Capharnaum nunquid uſq; ad cælum exaltaberis? uſq; ad infernum de-*

ſcendes. * Quantùm ſuperbia diſplicet Deo, tantùm humilitas meretur, gratiæ. * Non reſpexit Deus Mariam Virginem, ut eam in Matrem ſuam eligeret, quia fuit pulchra, vel nobilis, non quia ſapiens, ſed quia ancilla humilis. *Luc.* 1. *v.* 18. * Sic humiles magnificantur à Deo.!

Punctum 2dum. Quare ergo altas ædificamus turres, ædificamus Babylonem, quas tamen dejicit potentia Dei & confundit? * Quare tollimus ſuperbum ad aſtra caput, imitamur ſublimitatem cedrorum, quas tamen vox Domini confringit & in ignem inferni æternùm arſuras deturbat? * Elevamus cornua ſolem versùs, quæ atteruntur; ſuperbis enim Deus reſiſtit.* Conculcant ſuperbi, humiles: illos tamen deſpicit oculus Dei, iſtos exaltat. * Quid de ambitioſo, qui ſe magnificatum credit, exiſtimaverim? arbor

arbor eſt infructuoſa, vana tantùm folia jactans; nubes ſine aqua ventô inflata, fulmen in ſublimi genitum, vi ſua. in ima deiectum; fumus aſcendendo deficiens: & quid quid tále cogitari poteſt, quod ſua magnitudine ficta ludit oculos hominum, & revera exile ac abjectum habetur. * In ejusmodi montes ſuperbiæ facit nos aſcendere dæmon, ut faciliùs præcipitet. * Cave exaltari ne turpiter dejiciaris.

Punctum 3tium. Iamne ardenter curabo apud mundum magnus haberi: cùm admonet Apoſtolus *Rom.* 11. *v.* 20. *Noli altum ſapere, ſed time?* * Vbi eſt memoria eorum, quos magnos & potentes noviſti? periit cum ſonitu. * Quid tibi prodeſt, ſi coram te populi procidant; ſi te gentes adorent, ſi tibi excelſi famulētur honores quæ omnia te in morte deſerent:*

Nonne nôsti, quòd in hoc statu gloriæ & honoris alii ante te fuêre, quorũ nunc non recordatur mundus; * Memento, quomodo ceciderint, quomodo in pulverem redacti sunt, quomodo eorum vanitas, magnitudo, alta de se opinio in ventum abiit, evanuit. * Intende mentis oculos non ad præsentia, sed ad ea, quæ in futuro immitnent. * Iam cognosco fallaciam mundi. * Nescivi, quid petii. * Iudicavi me dignum honore, magna præditum sapientiâ & virtute: & eo ipso insipiens factus sum, nec ullo dignus honore. * Curabo ut fiam bonus, ut fiam humilis, & multò plùs magnificabit Dominus humilitatem meam.

PRAXIS III.

De amore DEI, Qui est totum bonum hominis.

Pun.

Punctū 1mum. NOn amatur unquam, nisi quod bonum est: quid summa bonitate melius? * Bona est, inquis aliqua creatura, non ex se tamen, sed ex Deo bona, quia illam Deus bonam fecit, quia illi Deus particulá aliquam bonitatis suæ cōmunicavit. * Nonne ingens stultitia rationali creaturæ tribuenda erit cùm omissa essentiali bonitate, perenni & immutabili, transiret in amorē illius, quod non à se, sed ab alio accidentaliter bonū est? * *Quis faciet hoc malum; ut derelinquat fontem aquæ vivæ; & fodiat sibi cisternas dissipatas, quæ non valent continere aquas?* sicut olim conquestus est Deus de populo suo *Ierem. 2. v. 13.* * Omnia clamant, omnia svadent, solum Deum esse amandum. * Deum, qui me ex nihilo produxit, qui me conservat, qui me redemit, qui me ad veram fidem, in qua sum securus de salute mea, vocavit

qui mihi media omnia ad æternam beatitudinem providit, non amabo? * Cognoſcit bos poſſeſſorẽ ſuum, recurrunt pulli ad matres ſuas: & ego à Patre meo qui eſt in Cælis, à factore meo, Benefactore meo, avertar ad amandam vanitatem mundi? * Deus prior dilexit me, & ego non redamabo? * Deus multa peccata mea, propter quæ, iam pridem damnandus eram, benignè dimiſit mihi; & ego eum pro hoc bono non diligam? * Dilexit multùm Magdalena, quia ei dimiſſa peccata multa *Luc.* 7. Abſit, ut ego tam ingratus fuerim! * Amorem Dei ipſe bonus JESUS ab homine requirit: *Diliges Dominum Deum tuum Matth.* 22. *v.* 37. * Non faciamne, quod ſvadet ſalutis meæ amator JESUS? non ſerviamne plena charitate Domino meo, qui Dominorum mundi obſequia non deſero, in qui-

bus

bus vana est hominum fiducia? * Deum omni dilectione dignissimū ex his omnibus quæ habet; Deum meum, qui mihi,& propter me est; qui mihi inclamat *Ps. 49. v. 7. Audi populus meus: Deus Deus tuus ego sum.* Deum meum, qui me de servitute Diaboli liberavit,& sibi in filiū adoptavit, qui mihi portas ad cælū; ut ingrederer, aperuit, qui me omni bono temporali & spirituali pavit, hunc inquam Deum non diligam?

Punctum 2dum. Cur ergo sæpe dubitas anima mea; mundine vanitatem, an Deum potiùs diligere debeas? * Quæ est participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras, quæ conventio Christi ad Belial? quæ proportio excellentiæ Dei ad vilitatem mundi? * Non habui mentem, qui hoc non intellexi * Cujus debet esse fructus? nonne illius, qui

arborem fecit, sepivit & rigavit? *Quis enim plantat vineam & de fructu ejus non edit? inquit Apost. 1. Cor. 9. v. 7.* * Et quare hucusq; tam insipiens fui, ut eum, qui me creavit, ac veluti arborem plantavit, non amarē? * Cur fructus vineæ Dei collegit mundus? cur eos non sacravi Plantatori vineæ? cur eum non amavi, à quo accepi potentiam diligendi? * Cur potiùs converti me ad amorem mundi hypocrytæ, qui mirum in modum vult videri speciosus, dives, honoratus; intus tamen plenus corruptione, paupertate, ignominiâ fucô & mendaciô * Cur patiebar decipi apparenti rerum pulchritudine, avertens cor ab eo, qui est speciosus formâ præ filiis hominum, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur? * Transitorias mundi voluptates non contempsi, divitias æstimavi, corruptibilem substantiam magni

gni feci; thesauros autē in cælo, qui non pereunt, nō thesaurisavi. * Non attendi illi orationi: *nolite diligere mundum nec ea, quæ sunt in mundo, qui diligit mundum non est charitas Patris in eo.* 1. *Ioan.* 2. *v.* 15. * Cur deniq; non sum recordatus, quia, si amo terrā, terra sum; si amo cælum, cælum sum; si amo Deum, Deus sum: quid quid sum, totum debeo rei amatæ; à qua si bona est, sponte accipio, quòd bonus sum, si mala, ego quoq; malus sum: sic amor est transformatvus!

Punctum 3tiū: Quid habes lucri ab his, quæ in mundo amasti? Amavisti vitam præsentem? transierunt dies tui velut naves poma portantes, velut vapor, qui in momento evanuit. * Confidebas in robustis viribus tuis? o quot fortissimi periêre Duces, quorum nomina ignorantur! * Gloriabaris bene instructis equîs? variis hu-

jus mundi pompîs, quæ nec post funera recesserunt à te imò tecũ sepultæ sunt? * *Væ qui opulenti estis! Amos* 9. * Confidebas in nobilitate tua, in scientia tua, in dexteritate tua? *quæ stulta sunt elegit Deus* 1. *Cor.* 1. *v.* 20. Nõ potest Dæmonem scientia à miserrimo liberare statu: *fallax est gratia & vana pulchritudo Prov.* 31. *v.* 30 Quid prodest gloria à partu, ab utero, non à virtute? * Amicos dilexisti? deseruerunt te, & obliti sunt tui. * Sudabas pro cóëmendis pagis, gemmis, pro acquirendis pecuniis? omnia hæc erepta sunt tibi: ecce nudus factus es! * Indulgebas carnis desideriis? ecce tibi ignis & supplicia. * Omnia clamant solum Deum esse amandum, quia omnia, quæ non sunt Deus, sunt mendacia & vanitas. * Ah me infelicem! cur desideravi præsens, non futurum? non considerabo jam quid sum,

ſed quid ero reſpiciã, & quæ ſequuntur prævîdebo. * Omnem abhinc impendam laborem, ut ſolum Deum amem: minùs enim amat, qui cum Deo aliquid amat. * Non vivam, ſi me amor Divinus non vivificabit. * Deum ſolum magnificabo, omnium obliviſcar, ut poſsim conſequi, quod amabo. * In hoc unicè incumbam, ut me occupem ſervitio Dei, & non erit mihi aliud ſub cælo niſi ſolus Deus. * Morietur in corde meo mundus, ſolus vivet Deus: mihi mundus crucifixus erit, & ego mundo. * O ſi quis mihi daret cor tam amplum, quàm eſt tota terra, quàm eſt totum Cælum, ut tanta magnitudine amarem Deum! * Diligam Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus; hoc eſt: nullam in corpore meo partem ſervabo, quæ vacaret ab amore Dei. * O ſi poſsem in corde meo concentra-

re amores Seraphinorum; & omnium Beatorum ac justorum hominum; ut sic nobilissimè, ardentissimè, intensivè & extensivè amarem Deum!

In eadem materia

De amore Proximi propter Deum.

Punctū Imum. JOannes Apostolus dilectus Domini continuus est in commendanda Proximi dilectione in suis Epistolis, præsertim *in Ima Cap.* 3. frequenter dicens: *diligamus invicem; diligamus non verbô, sed opere.* Suis quoq; Discipulis in dies commemorare consveverat (attestante S. Hieronymo in Commentariis *in Epist. ad Galatas*) *Filioli mei diligite alterutrum.* ⁎ Quid est hæc creberrima apud Apostolum dilectionis mutuæ commendatio? nisi quòd hæc virtus, est maximè ad salutem necessaria: ideoq; hoc ipsum mirantibus Discipulis

pulis respondit Joannes: *Præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* * Inseparabili nexu conjunctus est amor Proximi amori Dei. Vnde inquit Paulus *Rom.* 13. *v.* 8. *qui diligit Proximum, legem implevit.* * Conjunxit Salvator in unum mandatum hos binos amores, separatim enim amor *Dei* ab amore Proximi, & amor Proximi ab amore *Dei* non incedunt. * Qui verè amat *Deum*, iamat & Proximum; qui Proximo in amore deest, nequit esse verus amator *Dei*.* Si non amaveris Proximum, sicut te ipsum, infallibiliter incides in odiū Dei, & ardebis in inferno. * Ordinatus tamen hic amor esse debet, ut non plùs diligatur Proximus, quicunq; ille sit, quàm *Deus*: aliàs non esset *Deô* dignus. * *Post Deum* ama Proximum, sed non plùs, quàm *Deum*.* Fac tibi in charitate gradus, sicut e-

am in anima fideli Spiritus Sanctus ordinavit. *Cant.* 2. *v.* 4. * Noli nobiliora subdere ignobilioribus; *Deus* nobilissima substantia est: ergo maximè appretianda, priùs & magis quàm Proximus amanda.

Punctum 2dum: Inquiris fortè: & quis est Proximus meus, quem diligã? * Omnis homo, justus & peccator, bonus & malus, amicus, & inimicus, Iudæus & Græcus. * *Deus* hac conditione solem fecit, ut omnibus luceat, cælum ita dirigit, ut pluviâ opportuna bonis & malis prosit: hoc *Deus* fecit, ex amore omnium, & talis naturæ voluit haberi in nobis dilectionem Proximi. * *Disce* ab optimo *Deo*, qui omnes vult salvos fieri, & neminem perire, & ideo pro omnibus passus est, nullam gentem, nullum statum hominum ab hac dilectione segregans. * In eodem capite, in quo præcepit di-

ligere Deum & Proximum *Matth* 5. inimicos diligendos proponit Salvator, & benefacere his, qui nos oderunt, seriò mandat. * Vis dici & esse bonus Christianus? plùs age, quàm gentes, quàm Judæi, quàm hæretici non tenentes, aut vitiantes scripturas; ipsi enim amicos & bonos diligunt. * Hoc fecit Moyses in murmuratrice contra se sorore; David in saule; Stephanus in homicidis suis; Christus in crucifixoribus. * Quoties in te peccabit frater tuus; toties ipsi dimitte, toties ipsum dilige: & si in te millies peccaverit. * Gloriabantur Apostoli: maledicimur & benedicimus: blasphemamur, & obsecramus.* Neminem sol à suo lumine, cælum à suis influentiis, Deus à salute arcet: tu nemini denega amorem.

Punctum 3tium. Facilè implebo præceptum dilectionis Proximi, amando

bonos

bonos: ſed quomodo malos amore proſequar? quomodo inimicos diligam? quomodo pro eo orabo, qui detrahebat mihi, qui mihi inſultabat, qui me diffamabat, qui me injuriabat? * Hoc fac & vives. * Quod *David*, quod Paulus fecêre, tales homines ſicut tu; hoc ipſum exequere. * Venena, inquis, mihi propinant, quomodo ipſis medicinam retribuero? fac ex venenoſis theriacam, & ſanaberis. * Pulveribûs me obruunt & lapidibûs, dicis: quomodo ipſos pane ſatiabo & vinô potabo? * Potens eſt *Dominus* de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, & ex inimicis facere amicos, ſi voluerit. * Inimicus, virga eſt percutiens; ſed *Deus*, vulnus illico ſanat: hac virgâ pulveres tuos excutias & expurges, atq; mundus eris coram *Deo* & hominibus. * Iam ſum ita perſuaſus, ut diligam omnem homi-

nem

nem propter *Deum.* * Temperabo lege Christi illa edicta, *oculum pro oculo, dentem pro dente. Exo. 21. v. 24.* Non ulciscar illos, qui mihi malè fecerunt nec persequar persequentes me. * Revocabo gladium in vaginam ab iis, qui me vulneraverunt. * Feram æquo animô Pedagogum meum, qui quamlibet culpam meam graviter reprehendit. * Non injiciam igni vapulatoriam virgam, quæ me percutit quidem, sed emendat, & frenum peccanti imponit. * Non habeo odiô inimicos meos ut sim verus Christianus. * Amori Divino perpetuò jungam amorem proximi sine acceptatione Personarum.

In eadem materia.

De amore sui.

Punctũ I. Si in corde hominis vivit *animum.* amor sui, mortuus est illi Chri-

ſtus, occidit amorem Dei. * Amor ſui non eſt naturalis ſed naturæ corruptæ. * Amor ſui nimis privatus eſt, non ſe ad Deum, ut tenetur, elevat: qui dum eſt immodicus, inordinatè & nimio affectu commoda ſua quærit, Divina nihil reputat. * Bene Chriſti ſapientia depinxit amorem ſui *Ioan.* 12. *v.* 25. *qui amat animam ſuam perdet eam & qui odit animam ſuam in hoc mundo (& propter mundum) in vitam æternam cuſtodit eam.* * Si amas? perdidiſti, ſi oderis inveniſti, * Peſtis eſt amor ſui & radix omnium vitiorum, omnes virtutes, omnem Chriſtinam inficit perfectionem. * Appetis tuam excellentiam? ſolus dives, ſolus ſapiens, ſolus bonus conſiliarius, ſolus recta ſentiens & faciens cupis haberi? id philaucia operatur, quæ in te vivit. * Non deſeris ſocium, etiam in ſocietate pecati? arrogas tibi domi-

nationem? non es in pace tranquillus? veritatem odisti? privatam utilitatem quæris publicâ abjectâ? Ergo tuus iste amor fatuus est, ambitiosus, turbulentus, inconsultus, malignus, boni publici prædo. * Sicut totum bonum est amare Deum; ita totum hominis malum est amare se ipsum amore perverso. * Sicut amor Dei crescit usq; ad contemptum sui: ita crescit usq; ad contemptum Dei. * Amor sui quærit inter homines gloriam; amor Dei dicit: gloria mea solus Deus. * Qui se incautè amat, despicit verum bonum, quæ loquitur, non cogitat; coram se non ambulat, qualis est in moribus, non attendit. * Quis quis se amat, vult clausis oculîs suam conscientiam introspicere, ut suæ deceptioni blandiatur, non videt sua reprehensibilia, se intolerabilem esse proximo non dijudicat; quia sanum

judicium amor sui eripuit. * O quot rami infernali igni deputandi ex una radice! o quot pessimi fructus ab una mala arbore prodeunt!

Punctum 2dum. Jam cognovi quantum malum, amare apparentem bonitatem suam. *Quare ergo tam amens fui, ut cæco impetu in meum amorem ferrer? * Nolui legem æternæ sapientiæ intelligere: *si quis vult post me venire, abneget semetipsum Matth.* 16. *v.* 24. ego secutus sum meas inclinationes, per quod contempsi Magistrum meum. * Non dereliqui corpus meum, ut illud sinerem flagellis cædi, jejuniîs confici, in dura humo cubari: aliàs non castigavi corpus meum, nec in servitutem redegi: sicut me exemplô suô edocuit Paulus. * Lætabar maximè, quando lascivientes motus mei & carnalia desideria dominabantur mihi. cùm eorum

ſervus eſsem. * Non frenavi hunc indomitum equum, non ſubjugavi rationi, dans ipſi libertatem in omne nefas tranſeundi: quia me nimiùm amavi!

Punctum 3tium: Tam longo tempore amicus mihi eram, qui me odio debebam habere, ut dilectionem Dei lucrarer. * Nolui fieri inimicus corpori, ut cum cæleſtibus communionem haberem. * Fame membra non conficiebam, ut in cæleſti epularer convivio: magìs me oblectaverunt ſordes terræ. * O quàm intensè deſideravi commoda mea, vanitatem meam, æſtimationem meam! * Currebam vias vitæ meæ, quaſi àërem verberans, fruſtra laborans. * Hoſtem habui domi, cupiditates corporis mei, & adversùs concupiſcentias ejus pugnam non inſtauravi; non eum coërcui, verbera non inflixi. *

Alió jam mea convertam desideria, ab amore mei, ad amorem Dei. * Supplebo intemperantiam meam sobrietate, voluptatibûs cælestibus operam dabo.* Irascar carnalibus desideriis meis, & scio, quia non peccabo. * Non indulgebo carni meæ, abnegabo, abjurabo me ipsum, in crucem me tollam, crucifixus ero mundo & concupiscentiis ejus. * Absit, ut serviam immundicitiæ & iniquitati: abhinc exhibebo membra mea Deo hostiam laudis. * In corpore caput ornabam gemmîs, cincinnîs fucîs, nunc cinere aspergam: cum eo risi & delectatus sum, cum illo vicissim plorabo; in corpore me amavi, in corpore me abhinc odiô habebo.

PRAXIS IV.

De conditione Peccatoris.

Punctum

Punctū imum. PErpende deplorandam peccatoris conditionem, sed utinam benè perpenderes & feliciter deplorares! * Peccator est pars inferni, non habens partem ullam cum Christo. * Peccator abdicavit se omni jure cæli, quod accepit per mortem Filii Dei: *dimisit hæreditatem suam, dedit dilectam animam in manu inimicorum Ier.* 12. *v.* 7. o quanta inconsiderantia! * Peccator sibimet infernus est, quia non caret infernali tormentô in conscientia: Sic dicebat David *Ps.* 50. *v.* 5. *& peccatum meum contra me est semper:* Hebræus legit *coram me est semper:* si alius inimicus non est, hoc semper contra me est & diu & noctu. * Peccator vivens, hôc nonnisi à damnatis differt, quòd quamdiu vivit, si id conetur, potest se à pœnis illorū eripere, potest incendium lachrymîs pœnitentibus extin-

gvere. * Peccator, quantò plus erat in amore Dei in ſtatu gratiæ; tantò plùs eſt in odio in ſtatu peccati: quô quæ major eſt abominatio? quæ major eſt deſolatio? Peccator ſpoliavit ſe illa pulchritudine, quâ Deus beatos induit, & adamavit turpitudinem diaboli, quam ſi oculîs carneis videre liceret, exanimis præ horrore caderet. * Peccator non conſentiens legi æternæ Sapientiæ, ſtultum ſe fecit: *ſemper enim malitia cum ſtultitia conjuncta eſt*, ut inquit *Euſeb: Emiſſ: hom: de S. Blandina.* * Peccator, qui factus eſt ad imaginem DEI honorem ſuum non intellexit, & ideo comparatus eſt jumentis, & beſtiis terræ ſimilis factus eſt: qui enim ſecundùm ſenſualitatē non ſecundùm rationem vivunt, jumenta ſunt. * Noluit eſſe filius liberæ; maluit fieri ſervus & mancipium peccati: miſit ſe

ſub

ſub duriſsimum diaboli jugum, qui eſt Rex omnium malorum, ut non eſſet ſub ſuavi jugo Chriſti, qui eſt Rex omnium bonorum. * Peccator ſeparat ſe à DEO, quem in omni tempore vitæ in mente habere debebat, ut ſic Ipſi eſſet ſemper conjunctus: Dicit autẽ apud *Oſeã Cap.9 v.12. Væ eis, cùm receſſero ab eis:* o væ horrendũ! * Perpetuo deniq; impius timore angitur; quidquid audit in pejus interpretatur: ſalutaria monita & conſilia pro dolis reputat & animum omnibus replet malîs: quæ hîs infelicior infelicitas? * Hæc jugiter anima Chriſtiana meditare, & in æternum non peccabis.

Punctũ 2dum. Et cur ego hucuſq; tam cæcus fui, ut non viderem cæcitatem meam? * In hoc ſtatu verſabar, in quo nunquam vellem tunc, cùm ampliùs non licebit. * Non

cogitavi

cogitavi, quòd infernum damnato- rum intra me portarem & perpetu- um animæ meæ carnificem. * Tur- pitudinem peccati, venustatem me am reputavi: o insaniam! * Nolui intelligere, ut bene agerem, & stul- titia mea, mihi non displicuit: o a- mentiam! * Cùm me facerem besti- am, equum & mulum; inter homi- nes tamen imaginem Dei referentes; volui reputari. * Cùm diabolo & peccatò servirem, libertate Christi ausus sum gloriari; & in vera servi- tute libertatem meam collocabam: o imprudentiam! * Separavi me à Deo transiens ad creaturam, ut non essem cum eo, sine quo omnia nihil. * Cùm mihi boni svadebant, malum esse statum meum, & ideo deseren- dum; ego hæc consilia contempsi, & dolos mihi strui judicavi: o summam insensibilitatem meam! * Potuine

aliquan-

aliquando sic constitutus ridere? & tamen, nunquam mæstus fui, ut ridendo perirem. * Potuine securus incedere? & tamen nihil trepidavi; acsi jam victor post prælium essem, aut post pericula maris, in portu consisterem: o nunquam deplorandam amentiam meam! * Omnes creaturæ conspirabant contra me, ut punirent malitiam meam, nisi eis Creator obsisteret: & ego inter hæc pericula constitutus nihil consideravi: o stultitiam extremam!

Punctum 3tium. Quod olim S. Ludovico Regi pia Mater optaverat: *Mortem potiùs appetias, quàm in peccatum consentias*: hoc ego abhinc exequar, eligens potiùs mori, quàm fædari. * Considerabo sedulò hinc peccati horrorem, illinc inferni dolorem: atq; potiùs infernum arsurus ingrediar, quàm peccatum perpetrabo

bo. * Exequar Christiano more ethnici Philosophi præceptum *Lib:* 3. *Ethic: Melius est mori, quàm facere aliquid contra bonum virtutis.* * Vivens deflebo statum miseriæ, ne in æternum deplorem. * Egrediar ex inferno peccatorum; eijciam interius tormentum per seriam pænitentiam, ne in sempiternum ardeam; & vivam securus. * Dicam Deo; tu amor meus & omne bonum meum, dicam peccato: tu pessimum malum meum, & abyssus miseriæ: illi adhærebo inseparabiliter, contra hoc pugnabo invincibiliter. * Non præferam Verbi æterni Sapientiæ stultitiã meã, neq; cum bestiis terræ, more earum vivens, me conjungam. * Deniq; non vendam me Diabolo pro brevi voluptate, in libertatem filiorum Dei exiturus sub jugo Christi. * Da Domine, ut te sic possi-

deam

deam, ne unquam amittam; nec me permittas separari à te, ut semper tuus sim.

In eadem materia.

Quàm benignè DEUS peccatores recipit.

Punctū. imum. O Quàm bonum Dominum habemus! * Ego fugio, ne ipsum teneam, Ipse me insequitur, ut comprehendat. * Ego me elongo ab eo, transiens ad creaturam; ille se mihi approximat, & non longè est ab uno quoquè nostrum. * Ego me occido, dum peccatum mortale perpetro; ille me vivificat tribuens gratiam in vitam æternam. * Ego gladium quæro, ut me vulnerem lethaliter, dum occasiones peccati non desero; ipse mihi ensem eripit, & sanat cicatrices meas. * Ego desperа-

speratus clamo: *Periit finis meus & spes mea, à Domino. Thren. 3. v. 18.* ipse me ad se revocat dicens: recordare paupertatis meæ, qui propter te nudatus sum, ut te vestirem palliö gloriæ; recordare absinthii & fellis, quæ gustavi, ut te ab amaritudinibus sempiternis liberarem! * Ego ostium cordis claudebam, ne intraret, aperiens illud diabolo; ille stabat & pulsabat: *aperi mihi Sponsa mea*, ut ingrederetur, & mecum cænaret. * Ego ipsi paravi coronam ex vepribus, ille me coronavit gloriâ. * Ego crucem in humeros posui, ille sceptrum Regni Cælestis mihi dedit. * Ego me vinxi, captivavi, vendidi; ille me liberavit, redemit, qui educit vinctos in fortitudine. * Ego tandem erravi sicut ovis, quæ periit, ille bonus Pastor ovicu-

lam

jam errantem invenit, & humeris imposuit. * Hic est, hic bonus & misericors Dominus, qui peccatores recipit, qui venit quærere & salvum facere quod perierat. * Magna est mea injustitia, sed major Redemptoris misericordia!

Punctum 2dum. Tam bonum Dominum habui; & quare ego tam malus hucusq; fui, neq; meam malitiam, neq; illius bonitatem agnovi? * Quare invitantem me ad se, non audivi, imò obturavi aures, ut non audirem salutaria monita ejus, sed me adulationibus & vanitatibus sacravi? * Cur non redii, dum me quæreret, sed omnes modos abscondendi me ab eo, quæsivi? * Quare non sum obsecutus, dum me à pessimis viis revocaret, sed transivi ad mundum, qui me decipiebat? * Qui mihi

bi bene volebat, inimicum reputavi. * Ille me vocavit ad gratiam & gloriam; ego me reprobavi eligens damnationem animæ meæ. * Ille me à fæcibus peccatorum mundare conabatur, ego me cæno & turpitudini immersi. * Malui siliquîs porcorum nutriri, fame torqueri prodigus filius; quàm cæli deliciis perfrui, inter Angelos computari, ab impiis ad justos separari. * Cùm hæc feci, cur desperavi, cùm *Verbum Caro factum est*, ut in illo sperarem? * Timui peccatum, cùm illud patravi, priùs gaudens, cùm peccarem; bonus tamen JESUS peccatum crucifixit, morte mulctavit. * Cur non sum recordatus, quòd quamvis abundarent delicta mea, tamen superabundavit & gratia? * O bone DEUS, quàm misericors es super peccatore!

Pun-

Punctum 3tium: Dicam nunc fiducialiter: scio cui credidi, qui in charitate nimia adoptavit me in filium. * Veniet mihi semper in mentem mors pretiosa Salvatoris mei, quâ multitudinem peccatorum meorum occidit: tota spes mea collocabitur in cruce Ejus. * Credo juramento Divino apud *Ezechielem Cap.* 33. *v.* 10. *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat. Sicut & Christus protestatur Matth.* 9. *v* 13. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* * Clamabo ex toto corde meo cum Davide *Ps.* 50. *v.* 1. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* * Scio bene, quòd non est sic facilis apud homines debitorum remissio, quàm apud Deum infinitæ clementiæ. * Magnæ miseriæ meæ in quam per peccata incidi, occurret magna misericor-

dia Illius.* Ibo & revertar ad Patrem meum: dicam humiliter cum Ecclesia: *peccavi nimis in vita mea, quid faciam miser, ubi fugiam nisi ad Te Deus meus meus.* * Novi, quòd Deus scribit peccata mea in pulvere delebiliter, sicut olim adulteræ mulieris, non stylo ferreo in adamante: novi quòd pœnas in pulvere, præmia meritorum in marmore exarat: Ergo aspiciam peccata mea in pulvere annotata, & piis suspiriîs facilè dispergam, lachrymîs pænitentibûs delebo. * Vadam ad Patrem meum in quem amplius non peccabo; nec provocabo justitiam, ne ne mihi pereat misericordia: sic confidam misericordiæ, ut attendam justitiam.

In eadem materia

Qualis DEUS est in recidivantes peccatores.

Punctū 1mum. QVam benignus sit Dominus noster erga peccatores, ex murmure Pharisæorum de quo *Luc.* 15. *v.* 1. & 2. legitur, cognoscimus: ad quem dum Publicani concurrerent indignabantur dicentes: *Hic peccatores recipit.* * Venienti ad pedum suorū osculum pænitenti Magdalenæ peccata dimisit: ad Matthæū Publicanum se invitavit, & salutem ipsi obtulit cùm iniquis reputari voluit, cū esset Deus infinitæ Sanctitatis.* O ingentem superbiam nostram, qui cùm simus naturâ filii, & vasa iræ, re vera sumus peccatores, nominari peccatores, vel cum peccatoribus inveniri abominamur!* Nō ideò tamen putes o homo! te impune peccaturū, quòd bonū Dominū habeas: quò enim est in peccatores benignior; eò in recidivos erit severior.* Timenda est malis, præsertim ad vomitū suum redeuntibus, Dei pati-

entia; qui & patiens & justus est. * Deus, sicut omnia in mensûra & numero fecit; ita patientiæ suæ mensuram habet, quam, si excesseris in pristina relabendo peccata; actum est de te. * Dedit homini Deus sensum & intellectum, dedit oculos, ut non solam utilitatem temporaneam consideraret non sola delectabilia respiceret, sed, ut patientiam Dei super offensis suis intelligeret & intueretur. * Ah cæcus fuit & insipiens, qui hanc non intuebatur, non cognoscebat: væ dum post longam, patientiam, evibravit gladium justitiæ * Qui præsumens in Dei misericordia iterat pessimas vias suas, à quibus recesserat, aberrabit ab ea. & incidet in gehennam. * An nescis, quòd veniens recidiva febris occidat? * Patiens provocatus gragraviùs sævit. * Recordare, quid dixerit Paralytico *Joan.* 5. *v.* 14. *Ecce*

sanus

sanus factus es; noli ampliùs peccare, ne tibi aliquid deteriùs contingat. * Vulpes ad foveam, lupus ad caveam, canis ad fustem, piscis læsus ad hamum non redeunt, si semel offenderint ac evaserint.

Punctū 2dum: O quoties in me patientiam Dei expertus sum, & nondum timeo rigorem judicii Ejus! * Quoties me ille sanavit? & ego rursus animam meam vulneravi; & ideo reddidi me sanitate recuperanda indignum. * Quoties velut porcus redii ad volutabrum luti, postquam me sacro pænitentiæ fonte laverim. * Quoties peccata, post confessiones factas, iterando Dagonem coram Arca Dei, præponendo illi creaturam, collocavi? * Exiveram non semel de Sodoma malarum mearum consvetudinum, & rursus respiciebam eā, cujus voluptates placuerunt cordi

meo. * Quoties post pristinâ in confessionibus promissa in easdem lubricitates reversus sum? * O quoties, cum post stultitiam meam, ad sanam mentem redirem, iterũ insaniebam!

Punctum 3tium. O summam Dei in me patientiam! Cur me jam pridem in profundum inferni cum Juda non damnavit? * Quid boni feci, ut hucusq; expectaret DEVS conversationem meam? * Juro & statuo custodire judicia Ejus. * Non provocabo amplius justitiam Judicis, neq; irritabo patientiam super peccatis meis. * Timebo Dominum, neq; ad iracundiam iteratione majorum concitabo * Verebor Justum ut inveniam misericordem. * Deus Agnus est serenus & misericors ex fragilitate peccantibus; sed abutentibus gratiâ atq; recidivis, Leo est severus. * Expertus sum multoties dulcedinem Divinæ clementiæ:

absit

absit ut amaritudine justitiæ contra me exasperem. Peccavi Domino, & restitus sum ad gratiam; jam in æternum non peccabo, ne perenne incurram odium. * Dimittit Deus peccata misericorditer, sed illis non favet; nam adulteræ ad se adductæ, non dicit vade & vive sicut vis, sed inquit *Ioan.* 8. *v.* 11. *vade & jã amplius noli peccare*: alias, jam non misericors, sed justus ero, nec te à gehenna, si recideris, liberabo. * O grande fulmen, utinam cor & animam penetret, ne ad pessimam redeam vitam!

PRAXIS V.

De Fructibus Passionis Dominicæ qui Eam meditantur.

Punctũ 1mum: TOtum hominis bonum est, neq; ullis verbis explicabilis

bilis felicitas frequenti meditatione JESVM Crucifixum ante mentis oculos proponere. * Deo inde nulla perfectio, sed innumeræ homini proveniunt utilitates. * Nostri gratiâ Petrus, & ipse Crucis Dominicæ tenerrimus adorator, in sua Epistola prima *Cap.* 4. *v.* 1. loquitur universæ Ecclesiæ: *Christo in carne passo, & vos in eadem cogitatione armamini.* Acsi dicere vellet: quòd Christus in carne Deifica passus est; vos fideles Ejus, hoc totum in corde sustinete, & cogitatione comprehendite, ut ita contra hostes animarum vestrarum armemini. * Mundum, carnem & diabolum cruce Dominica certissimè vincit Athleta Christi, per quam ipse infernum debellavit. * Quod scripsit Petrus, hoc fecit Paulus, qui de se *ad Gal. cap.* 2. *v.* 19. inquit: *Christo confixus sum cruci,* nec unquam in alio glo-

riari voluit *nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi* * Quorsum hæc? nisi quòd ab arbore Crucis suavissimi propendent fructus, & cuncta meditantibus eam proveniunt bona. * *Tertulianus Lib. contra Iud. cap* 11. *vitam nostram à cruce pendere inquit: En vita tua pendens in ligno in morte sua:* adeoq; mortem Domini oculis nostris conspiciendam inculcat. * *Div. Aug.* producit fructus meditantibus Dominicam Passionem à suo exemplo dicens: *in Ps.* 60. *Angitur cor meum, laboro inter tentationes & scandala: Christus passus est mihi turris fortitudinis, quò cum fugero, vitabo tela inimici. Caves ne feriaris à diabolo, fuge ad hanc turrim.* Ergo habes efficax remedium, consolari in tribulationibus, vincere in pugna; nempe recogitata vulnera Christi. * *S. Gregorius M. in Ep. ait: nihil adeò gravè erit*

rit, quod non æquanimiter toleres; si Christi Passionem ad memoriam revoces. Ergo in mærore solatium; in fame cibum in siti potum, in timore securitatem, in perturbationibus solatium, in perplexitatibus consilium invenio; si respicio devotè JESVM Crucifixum. * *S. Bernardus Serm. 61. in Cant. docet: tanta vulnerum Christi virtus est; ut ad eorum memoriam totius peccati fugetur exercitus.* Ergo si te trahit occasio ad peccatum, si tentator allicit ad culpam, si caro voluptatem & corporis commoda svadeat, si mundus vanitatibûs cor excæcare conetur: totum hunc exercitum gladio Crucis prostrabis.* *Thomas à Kem. Concione 25. præclarè scripsit: Multa bona confert homini Passio Christi ad memoriam reducta; & quantò sæpius & intensius de ea cogitatur, tantò dulcius sapit & vehementius compungit.* Ergo

si

si aridus es & insipidus, invenies dulcedinem; si ignavus, promptitudinem, si in amore Dei tepidus, ardorem cælestem, si impatiens, tollerantiam è suis vulneribus tibi instillabit Crucifixus * Eminentissimus deniq; Bellarminus concludit *in Psal.* 40. inquiens: *Beatus, qui paupertatem, nuditatem, flagra, lachrymas Christi attentè cogitat.* Ergo securus est de salute animæ suæ qui intra vulnera Domini perpetuò commoratur. * Non mea cogitata scripsi, sed magnorum Patrum: ergo crede expertis, & totus in lachrymas super doloribus IESV diffiue.

Punctum 2dum Tantorum beneficiorum memoria excidit de corde meo contra quod apud Regium vatem conqueritur IESVS *Ps.* 15. *v.* 13. *Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde* * Expandit manus sacras in

cruce, ut me ad se pertraheret, ut sub illis veluti sub umbra, alarum requiescerem, & venire nolui. * Aperuit latus suum, ut intrarem & securus ibi habitarem, & non intravi. * Invitavit inclinato capite, ut eum respicerem, & oculos averti nugis & vanitatibus implicatus. * In publico loco crucifigi voluit, ac è cruce à me compassionem exoptabat: *O vos omnes qui transitis per viam attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Thren.* 3. & ego hæc omnia surda aure pertransii, neq; bonum meum consideravi. * O cæcitatem meam! habeo patentem thesaurum *Divinæ* Sapientiæ & charitatis æternæ, & per vulnera non sum ingressus, ut ditarer.

Punctum 3tium. Sequar IESVM bajulantem sibi crucem, eamq; tollam ad montem Calvariæ socium tanti operis Christum habiturus. * Egredi-

ar

ar extra civitatem à contaminato populo, & ibo ad montem myrrhæ ut compatiar Salvatori meo. * Pergam plorans, quò raptabunt funes & catenæ, veniam quò trahet dolor & amor.* Non retrahent me ſpinarum aculei, non abigent virgæ & flagra.* Clamabo, ut audiar in Occidente & Oriente, in Aquilone & Auſtro, in Cælo & inferno. Amor meus crucifixus eſt & ego illius affigar cruci: Filius Dei pendet è ligno ſalus mea, beatitudo mea, Magiſter meus, Salvator mundi, Rex meus expanſus eſt in patibulo; & ego mancipium deliciis & vanitatibus operam dabo? abſit hoc à me Domine. * Hic myſticus myrrhæ faſciculus inter ubera mea, hoc eſt in intimis cordis per memoriam commorabitur, * Intingar ſanguine hujus Agni Immaculati, ne me percutiat Angelus.* Transferã in cor meũ do-

lores

lores IESV, recordabor, quantam à peccatoribus ſuſtinuit contradictionem, ut mihi ſit benè in ſempiternū.

In eadem materia.

Paſsio Christi in amaritudinibus vera dulcedo.

Punctū Imum. DUlcis humano corrupto guſtui hic mundus, & illa, quæ ſunt in mundo eſſe videntur, cùm re vera acerba uva ſunt, quâ deguſtatâ obſtupeſcunt dentes. * Svavis putatur cùm attollit honoribûs; cùm induit pretioſis veſtimentîs; cùm oſculîs ſuos & amoribus proſequitur cum magnificas exhibet pompas, cùm adulatur; cùm lac & mel propinat voluptatum. * Veriùs tamen inſipidus eſt, dum attolendo deprimit; oſtendit omnia Regna mundi, quæ nō habet; baſia figit, ut interimat & fraudibûs opprimat, ſicut *Ioab Amaſam* 2. *Reg.*

20. *v.* 29. pompas risu dignas, ut nos velut pueros decipiat instruit quæ in momento transeunt; assentationibûs decipit; lac propinat, ut clavum infigat sicut *Iachel Sisaræ Iudic.* 4. *v.* 19.* Multa promittit suis fautoribus, sed semper mentitur jugiter fingit, falsus amicus qui in morte deserit. * Foris valde speciosus, intus corruptione & & vanitatibûs plenus. * In mundo velut in medio laqueorum ingrederis: ubiq; fraudes, scandala & peccata, prava colloquia, iniqua consilia pessima exempla. * Mendax hæc dulcedo, ad tempus svavitate ficta blanditur, brevi tamen in amaritudinem magnam convertitur. * Verbô versamur in hoc mundo veluti in mari, *Sic S. Aug. Serm.* 13. *de V. D.* inquit: *Attendite sæculum quasi mare.* * In quo scopuli & tempestates continuæ, pericula innumera, aquæ ejus amaræ. *
Ergo

Ergo vulnera lethalia quæ mundus infligit, vulneribus IESV ſananda erunt, quibûs omnem languorem & infirmitatem animarum noſtrarum curavit. * Ille occidit adulando, hic veritatem prædicando morte ſua vivificavit. * Inanes pompas exinanitione ſua ſupplet dicens *Luc.* 17. *v.* 21 *Regnum Dei intra vos eſt;* nempè, quando ſpinea corona; ſceptrum arundineum, purpura ludibrii, majeſtas regia crucis intra memoriæ domicilium perpetuò verſabitur. * In omnes maris iſtius amaras aquas, ſi immitatur lignum, in quo pependit Deus, & in eo mortem oppetiit, dulces fient vera dulcedine.

Punctum 2dum: Et quarē non ſapit mihi IESVS Crucifixus? * Quare in corde meo non vivit IESVS & neq; moritur mundus? * Ille mihi placet hypocrita, qui multa pollicetur

& nihil præſtat, vel quæ dederat, eripit; diſplicet iſte, qui æternam præparavit beatitudinem, qui promiſſa fideliter implet, neminem ſeduxit. * Averſus ſum ab eo, qui me replet omni dulcedine vera; converſus ſum adeum, qui modicum mellis guſtandum offert, ut incauto mortem propinet.* Magnopere eum æſtimavi, qui ſuis baſiîs me tradit dæmonibus; ſuis doloſis amoribûs in odium Dei inducit: Hunc pro nihilo reputavi, qui cùm Eum crucifixerim, caput cum vultu inclinat è cruce ad præſtandum mihi oſculum & me cum Patre ſuo reconciliandum. * IESVM Crucifixum deſerimus, qui pacem ore pollicetur, cor apertum præbet, manus expandit; ut id quod ore dicit, corde & opere præſtet: illum ſeductorē ſequimur, qui ore oſcula præbet, pacem loquitur; alius eſt autem corde, alius factô, inſidio-

ſus manibûs. * Quare tandem deceptionem mundi, fiſtulas, citharas ejus & cantica, dulcedinem exiſtimamus, cùm ſint ipſiſsima amaritudo, quam, hymnus exeuntis in hortum Gethſemani, oprobria ipſi tempore Paſsionis illata, ſi modò toto conatu deguſtentur, dulcem reddunt?

Punctum 3tium. Guſtabo jam, quam ſuavis eſt Dominus in cruce pendens.* Transferam dolores Ejus in cor meũ, ne ibidem maneat locus deliciis mundi. * Sub umbra Crucis IESV requieſcã, quâ æſtus mundanos temperabo, tempeſtates arcebo.* Projiciam me in mare Dominicæ Paſsionis; hauriam de fontibus Vulnerũ Salvatoris, nec mihi faciam ciſternas diſsipatas. * Solus in corde meo vivet IESVS Crucifixus, morietur cum ſuis vanitatibus mundus, dicamq; cum Apoſtolo & hoc opere complebo, *Mihi mundus cru*

cifixus

cifixus est & ego mundo ad Gal. 6. v. 14.* Ad hæc omnia, quæ sunt Christi, ad ejus ludibria, ad spinas & flagra, ad crucem & mortem, paratum cor meum: vivo ad hæc omnia, ad alia quæ sunt vanitatis mundanæ, ad ejus asſentationes & laudes, ad ejus risus & solatia, ad vanos honores, ad falſa promiſsa, mortuus sum, nihil sentio, nihil curo, nihil attendo. * Lædet animam meam serpens infernalis: respiciam in cruce pendentem, & sanabit me; qui ad hoc venit, ut vulnera nostra curaret. * Insurget in me totus peccatorum exercitus, curram ad Ducem meum, qui per paſsionem suam peccata debellavit. * Mortem mihi minabitur diabolus, en vita mea pendet in ligno, à qua salus mea profluxit.* Hoc deniq; agam, quod egit Augustinus, de quo *scripsit in Matth. cap. 6. Cùm me pulsabit aliqua turpis cogi-*

*tatio, recurram ad vulnera Christi; cùm me premet caro mea; recordatione vulnerum Domini mei resurgam; cùm diabolus parabit mihi insidias, fugiam ad viscera Domini mei & recedet a me.** In omnibus falsis mundi dulcedinibus, dulcior mihi IESVS Crucifixus; in omnibus amaritudinibus, in omnibus adversitatibus solus IESVS Crucifixus vera dulcedo mea, verum solatium.* Quis me separabit à Cruce Domini mei? non pecuniæ, non Principum favor, non curiositates, non pompæ mundi, non voluptates. * Veram fortunam meam ne avolet, clavîs, quibus IESVS Cruci affixus erat, retinebo.

In eadem materia.

Quòd per tolerantiam Christo Patienti assimilamur.

Punctū imum. INtueris terrenum Regem, exercitu forti stipatum. pom-

pîs

pîs hujus mundi & superbis circumfusum Aulicîs; diademate & purpurâ fulgentem; tributa, cultus & homagia recipientem; populos gubernantem; leges belli & pacis regulas statuentem? quàm enixè optares ipsi assimilari! * En Rex tuus pendens in cruce pro salute tua innumeris Angelorum legionibûs vallatus, qui in sua nuditate congrediens cum diabolo eum triumphavit; arundineo sceptrô, spinea coronâ, chlamyde coccinea insignitus; & imitari non studes? * *Attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus*, inquit IESVS per Prophetam *Thren.* 1. *v.* 12. * Non solis oculîs exteriùs videte, quia hoc etiam inimici Crucis Christi faciunt; sed interiùs animô & corde dolente attendite, vehementiam dolorum in vobis ipsis sentite, ut Magistro vestro assimilemini. * Recogitate oppro-

bria mea, plagas & livores meos & singulas Passionis particulas colligite, Crucem humeris imponite, spinis non floribus caput coronate, sputa & colaphos acceptate; & ita Regem vestrum imitamini. * Nemo meliùs Christi præsefert similitudinem, quàm qui exhibet suam in patiendo alachritatem. * Dux noster inquit, Crucem ferens ad nos, *quod me videtis facere, hoc facite*; ego jejuno, vos jejunate; ego sum mitis & humilis corde, vos non inflet superbia; ego contumelias tacens accipio, vos spernite oblocutiones & murmura hominum; ego crucem fero, vos à portanda non fugite; ego felle potor, vos ebrietatibus & commessatioibus operam non date. * Quod me videtis facere hoc facite; facite secundùm exemplar, quod vobis in monte Calvariæ monstratum est. * Mundum, carnem & diabolum cru-

crucifigite

cifigite, & vos ipſos cruci affigite. * Paulum imitamini 2. *Cor.* 12. *v.* 9. dicentem: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti:* ideſt ut aſsimilier Chriſto.* Tolera myrrham, labores, perſecutiones, quas toleravit Chriſtus & illi ſimillimus eris.

Punctum 2dum. Inquis imperite miles: ſum delicatæ complexionis, quomodo ſuſtinebo? * Et quis tenerioris, delicatioris fuit, quàm Chriſtus è puriſsimo Virginis Sanguine, operâ Spiritûs Sancti natus? quæ autẽ per miraculũ fiunt, nobiliora & excellẽtiora ſunt, quàm, quæ per naturã. * Inquis adhuc: ætati meæ, generi meo, ſtatui meo, auſtera vita & indigna non convenit: Ætas Chriſti illa fuit, quâ nihil chariùs, nobilitas Ejus Divina, ſtatus ſupremæ Dignitatis, ſummæ majeſtatis, incomprehenſibilis auctoritatis

ritatis, & tamen indigna pro te passus est. * Adjicis ad hæc: in loco publico opprobria ab hostibus ferre animus & natura abhorret: quod theatrum magis publicum, quàm mons Calvariæ, ubi scelestissimi torquebantur, & tamen ibidem pro salute mundi innocentissimus Virorum illusiones, scommata; crucem & mortem subiit? * Nemo, neq; tu, neq; alius abs te sublimior Christô, & tamen illo nemo despectior: & tu qui pulvis es & cinis, honorari cupis? contemni metuis? patienti Domino assimilari renuis?

Punctum 3tium: Estote imitatores Christi, sicut filii charissimi monet Apostolus ad Ephes. 5. *v.*1. ego obtemperabo. * Non erunt mihi molestæ injuriæ & adversitates, nuditatem non erubescam, paupertatem non metuam: toto studio vitæ Christi conformabor.* Non superbiet corpus meum delica-

tis pretiosis vestimentîs, quando nudum Christi pectus intueor. * Claudam vanitati cor meum, dum suum aperuit IESVS militis lanceâ, ut in illo habitarem. * Oculos ad curiosa & delectabilia non attollam, quando oculi IESV lucidiores Sole, languent. * Non patebunt aures meæ mendaciis & nugis, dum Christus libenter sua ludibria audit. * Non coronabo me rosîs, non vultum stibiô depingam, non corpus deliciîs pascam; ubi caput Domini mei spinîs circumseptum, faciem, quam Angeli desiderant videre, sputîs fædatam, totum Divinum Corpus vulneribûs plenum intueor. * Benefaciam his, qui me oderunt, quia IESVS ad pedes sui Proditoris procumbit, eos osculatur, & qui sedet super Cherubim, conservi pessimi lavat pedes. * Silentiô præteribo scommata & derisiones: quia & JESVS ad

omnia

omnia objecta tacebat, ut id miraretur Pilatus. * Non omnia libertati meæ permittam, respiciens vinctum catenîs, funibûs ligatum Magistrum meum. * His modîs assimilari conabor Domino meo Crucifixo.

PRAXIS VI.

De reali Præsentia Christi in Eucharistia.

Punctũ imum. PEreat incredulus, dissentiens sub speciebus panîs & vini, esse verè & realiter Corpus Domini Nostri IESV Christi post prolationem verborum à Sacerdote legitimè ordinato, factam. * Verbum Omnipotens, Increata Sapientia, Æterna Veritas, accepto pane in sanctas manus suas dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur*, & similiter accepto Calice, dixit: *Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis*

effundetur

effundetur in remissionem peccatorum: Et adhuc dubitas? * Ergo omnipotentiam Christo denegas; Sapientiæ Ejus, acsi id non intelligeret, derogas; Æternæ Veritati mendaciũ objicis? * O quot blasphemiæ! * Iudæorum infidelium stultitiæ imputatur istud litigium; *quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* * Non vis permanere in stultitia Iudæorum? crede dicenti Verbo infallibili: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in illo. Ioan. 6. v. 53. & 55.* * Mutavit aquam in vinum, & vinum in sanguinem suum, panem in corpus mutare non potest, apud quem non est impossibile omne verbum? * Insurgit contra catholicum dogma sublimitas Mysterii humano geniô imperceptibilis

bilis, aut violentus ab hoste veritatis turbo? clama cum Propheta *Isa.* 38. *v.* 14. *Domine vī patior responde pro me*: Dic cum illo patre obsessi â malo spiritu pueri: *Adjuva incredulitatem meam. Marci* 9. *v.* 23. * Crede firmiter: *omnia possibilia sunt credenti, inquit IESVS ibidem v.* 22. * Sensus equidem fatiscit, aliud judicat oculus, aliud gustus, natura vim patitur: si vis credere fallere nescienti, auxilium supernaturale pete, præsidium cæleste humiliter exora, aliàs succumberes. * Fide hìc opus est Divina, non ratione Philosophica. * De hoc mirabili Mysterio aliquid locuturus, pone manum super os tuum, ne fortè extra rem, vel parum decenter de tanta dignitate loquaris, quam comprehendere Angelicus nequit intellectus.

Punctum 2dum. Quis igitur non

captivabit intellectum in obsequium fidei, circa realem præsentiam Corporis & Sanguinis Domini, sub speciebus panis & vini? * Diceritne quispiam cum carnalibus Capharnaitis: *durus est hic sermo, & quis illum poterit audire?* * Christus affirmat *Ioan.* 6. *v.* 52 *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi: panis quem ego dabo caro mea est*: & ego negabo? * Ibidem præfert mannæ panem Eucharisticum, Corpus nempe suum, veritatem umbræ præponit, figuratum figuræ, & quis adhuc judaizabit dicens: figuram duntaxat Corporis Christi esse Eucharistiam, quam olim significabat Melchisedechianus panis & vinum? *Paulus Doctor Gentium inquit*: 1. *Cor.* 10. *v.* 16. *Nonne communicatio Christi sanguinis est?* & quis Paulo, quasi sapientior dixerit; *typum nobis, non verum sanguinem communicari in*

Calice? * Si tibi egenti dicerem: do tibi aurum, aut esurienti & sitienti, do carnem, do vinum: nonne fictus impostor essem, si pictum nummum, si imaginem duntaxat cibi & potûs offerem? * Verbum æternum loquitur: *Caro mea, verè est cibus, sanguis meus verè est potus!* non obscurè, nō in parabolis loquitur, at tu inquis: *typus est, figura est, imago est?* Iam typus præcessit, imago evanuit, figuræ veritas successit.

Punctum 3tium. Absit à me Domimine, ut te sub velamento panîs & vini reali veritate existentem non viderem oculîs fidei! * Abscondit equidem in hoc Sacramento Dominus faciem suam, sed amorem retegit: ego tamen sub nube candida ibidem Eum conspicio. * Credo fide Divina, quòd hoc corpus, quod pro salute mundi traditum est, realiter existat

in Euchariſtia: nam Chriſtus de pane dixit: *hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur, quod pro vobis tradetur.* * Animus mihi eſt ſincerus in hac & pro hac veritate mori, quòd corpus tuum in Euchariſtia verè cum ſubſtantia, natura, anima, humanitate & Divinitate contineatur. * Velant te ibidem accidentia, & aliud mihi perſuadent, ſed lumen fidei revelat, ſed Omnipotentia Divina, cui id non eſt impoſsibile, manifeſtat. * Cantent aliud vaferrimæ hæreticorum ſyrenes, aliud ſuadeat humana Philoſophia: ego ſemper aures his cantilenis claudam, ſurdus efficiar ad humanæ ſapientiæ verba.

In eadem materia.

De Adoratione Chriſti in Euchariſtia.

Punctum

Punctū 1mum. EXcellentissimum Divinæ Sapientiæ opus institutio Eucharistiæ, beneficium inter alia nobilius & admirandum & adorandum. * Cogito universum mundum ex nihilo productum, & miror: cogito Deiparæ Virginitatem Maternitati conjunctam, & attonitus hæreo; cogito Vnionem Hypostaticam Naturæ Divinæ cum Humana, & obstupesco: nam hæc cogitationem creaturæ excedunt: cogito deniq; Christum dedisse homini suam carnem in cibum, sanguinem in potum, jamq; mens mea absorbetur.* Aliàs hoc mysterium cætera Dei opera admiratiône superat, quod Angelicus Doctor Festô Corporis Christi vocat miraculum maximum; cæteri Ecclesiæ Patres, memoriam mirabilium Dei, perennis Symbolum amoris.* Hoc igitur mirabile opus, hoc summum beneficium, supra quod Omni-

potens

potens plùs dare non potuit, ditissimus plùs dare non habuit, sapientissimus plùs dare nescivit, supremo adorandum cultu. * De isto cultu loquitur *Augustinus in Ps. 98. quia Christus in ipsa carne hic ambulabat, & ipsam carnem manducandam ad salutem dedit, inventum est, quomodo adoretur talè scabellum Domini, ut non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* * Ipse quoq; *Ambrosius* eundem exponens Psalmum *Lib. 3. de Spiritu S. Cap. 12. inquit: Per scabellum terra intelligitur, per terram autem Caro Christi, quam hodie in mysteriis adoramus.* * *S. Chrysostomus Tom. 3. hom. 24. in 1. Cor. 10. docet: Magos hoc ipsũ corpus adoràsse in præsepi, nos autem in Altari, illos in ulnis mulieris, nos autem in manibus Sacerdotis.* * Omnis terra, omnis populus Gentium adoret te in Eucharistia,

verè & realiter exiſtentem. * Adoraverunt Apoſtoli; *Andreas*, cujus meminerunt Preſbyteri & Diaconi Achaiæ, qui paſsionem & acta ejus conſcripſerunt: *Jacobus*, ùt conſtat ex Liturgia, quam conſcripſit, teſtantibus omnibus Patribûs Græcis: *Petrus* quemadmodùm ex ſimili Liturgia, quâ hucuſq; utitur Romana Eccleſia, licetſi à Magno Gregorio orationibûs aucta, ſed in ſua ſubſtantia non immutata, colligitur. * Adoravit igitur primitiva Eccleſia & ad noſtra adorat tempora; reſtat ergo obligatio omnibus adorandi Chriſtum verè & realiter in Euchariſtia exiſtentem. * Adorate hoc Sacramentum mirabile omnes Gentes, & fidem adhibete.

Punctum 2dum. Nonne adorabo hic prodigam Humanitatem in exinanitione, conſummatam charitatem, beneficiorum compendium & ſummi

tatem

tatem? * Ah, quàm ingrata bestia fierem! * Dicamne cum juratis Ecclesiæ Catholicæ hostibus hujus Sacramenti adorationem esse excogitatum figmentum; quod ab Apostolis usq; ad nos latreutico cultu semper excipiebant Christi fideles? * Sensibusne & gustui potiùs credam, quàm æternæ veritati, hunc, qui fuit in venerabilibus Christi manibus, panis factum esse verè Corpus illius? * Hoc mysterium adorant Angeli & ego vermis genua non flectam? * Tu magnus Dominus meus; & ego subditus tuus homagium servitii mei non præstabo? Tu Pater meus & ego filii obsequia non tribuam? Tu Rex meus, & ego subditus vectigal denegabo. * Auferat à me Dominus tantam insipientiam!

Punctum 3tium. Non diffiteor impiè, credo fideliter Christum cum a-

nima & corpore, cum Divinitate & Humanitate, verè contineri in Eucharistia: ergo Deum cultu latreutico adorabo. * O salutare animarum viaticum, vita mortuorum, lumen cæcorum, afflictorum solatium, beneficiorum compendium, prosterno me pulvis & cinis ante te Deum! * Sublime hoc mysterium ipsis tremendum Angelis, profundissima dignabor veneratione. * Adorabo charitatem tuam erga genus humanum, adorabo mirabilia tua, adoransq; sperabo, quòd me enutritum corpore & sanguine tuo, ad cælestem transportabis gloriam; * Sublimitatem tanti mysterii dum comprehendere non valeo, in silentio & pace cordis, coram te cernuus procidam. * Caligant equidē oculi corporis te solem Increatum intuentes; sed quia viva fide vident oculi mentis, curvabuntur coram te

genua

genua mea. * Sub nube ſpecierum lumen increatum intueor & ſaluto.* *Adoro te cum Aquinatico Thoma devotè latens Deitas, quæ ſub his figuris mirè latitas.* * Præſta fons omnis gratiæ, ut te tantùm adorem, quantùm Infideles & Hæretici contemnunt. * Hæc ſalutaris Hoſtia, quæ illis, vitiô eorum fit venenum & mors, mihi fiat vita & medicina.

In eadem materia.

De frequenti uſu Euchariſtiæ.

Punctū imum. EFfundo in conſpectu tuo Domine animam meam, & ſeriùs contemplor divitias charitatis tuæ in Euchariſtia, quibûs me ad frequentem provocas uſum. * Hìc reconduntur omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ut de eis locupletandus, ſæpiùs acciperem.* Ad meam

rem loquuntur Concilii Tridentini Patres de Eucharistiæ Sacramento, quòd in eo Deus divitias sui amoris in nos effudit. * Vult nos sua benignitate facere piè avaros, ut sæpe accedamus, & de his gratiarum thesauris sumamus. * Euntes in Emmaus Discipuli cognoverunt beneficas manus Christi in fractione panîs, in distributione Eucharistiæ: o quanto desideriô tenebantur, ut frequentiùs participarent! * Incorporatur nobis Deus per sumptionem Divinorum Mysteriorum, ut fiat noster consanguineus, ad quem ideo frequentiorem accessum & tutiorem habeamus. * Quoties sumo, toties dicere debeo: *vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* * *Manna manducantes in deserto Patres, mortui sunt; qui manducat Christi carnem, habet vitam æternam*, assecurante Domino *Ioan.* 6.

v. 55:

v. 55. ideoq; Patres Concilii Nicæni Eucharistiam symbolum resurrectionis vocaverunt. * Eucharistiæ Sacramentum *S. Bernardinus Sen. Tom. 2. serm. 54.* ultimum & supremum gradum largitatis Divinæ appellat. * In tenebris vitiorum ambulas? Divinum Sacramentum te illuminat; frigidus es? inflammat affectum ad ardorem virtutis: sentis in anima amaritudinem? ignoras statum tuum, aut necessaria status? *comede volumen istud, & fiet sicut mel dulce in ore tuo. Ezech.* 3. & repleberis scientiâ Sanctorum.

Punctũ 2dum. Tantæ divitiæ, tanta emolumenta in hoc mysterio sunt homini præparata; & cur ita est rudis, & tepidus, ut frequenter non accedat? * Dixerint fortè nonnulli: sæpe accedimus: & parum, aut nihil participamus, non ditescimus Divini amoris opibûs, non incalescimus virtu-

tum æſtu. * Credo, quòd multi nihil divitiarum cæleſtium de hoc theſauro participant: quia ſæpe accedunt irreverenter, atq; imparati, ſine veſte nuptiali, immundi, paſsionibûs & iracundiâ ferventes, manſvetudine deſtituti, ſine candore conſcientiæ; o quanta irreverentia! & ideo nudi venientes, nudi redeunt. * Idola peccatorum de corde non tollis, & ſanctiſsimam ibidem collocas Arcam? non habes, quo reponas dona gratiarum: quæ enim conventio Chriſti cum Belial? * Quis explicet, quæ beneficia nobis Deus in hoc Sacramento præparavit: *omnia parata ſunt; guſtate, quàm ſuavis eſt Dominus.* * Et cur hæc ſolatia ille ſentit, ille non ſentit? * Reſponde cum Philoſophis: actio activorum in patiente bene diſpoſito. * Diſpone te, proba te per ſinceram confeſsionem peccatorum,

per perfectum dolorem, & sic de pane illo edas, atq; senties svavitatem supernam. * Væ nobis quoties comedimus! vereor, ne aut indignè, judicium tremendum nobis manducaturi, aut sine ullo fructu. * Per tot annos fruimur hoc conviviô, & famelici sumus, in vita spirituali non crescimus, quia miseri sumus: *Corpus Domini quotidie tractamus* (utor verbis S. Chrisologi *in Matth. Cap. 9.*) *& de nostris vulneribus non curamus.** Intus manens, prohibet extraneum. * Ejice ex anima sæcularia desideria, accipies solatia spiritualia: sapias, quæ sursum sunt, non quæ super terram: cedant vana veris, iniqua sanctis, caduca æternis, ima summis, & præparâsti locum Deo, cùm ejecisti diabolum * Abjiciat cor amorem sæculi, oculi vanitates non videant, lingua à stultiloquio abstineat, aures detractiones

eliminent

eliminent; & mox post epulum Eucharisticum, pectus amore Divino fervebit, oculi cælestia contemplabuntur, aures patebunt loquenti Domino & audient arcana superna. * Verbô: mundamini, mundi estote, mũdi accedite, mutate vitam & mores, in sanctos, abluite lachrymîs pænitentibus sordes vestras, excutite etiam leviores pulveres, si qui adhæserunt conscientiæ: & totum lucrabimini. * Frequentia majorem addere debet reverentiam istius Sacramenti non tollere: nam & Seraphim, quamvis semper Deo asſistunt, tamen semper reverenter tremunt. * O quantum compressis paſsionibûs, quàm diligenti malarum affectionum mortificatione, quanta devotione, quanta munditiâ animæ, quanto mentis stupore, ad hæc veneranda mysteria accedendum.

Punctum 3tium. Apertis intueor oculis

culîs, inexhauſtos in Sacramenti Eucharistiæ uſu theſauros; O ſi quis mihi daret, ut ipſis inopiam meam ſublevarem! * Cognoſco varias hìc cæli delicias latere: o ſi illîs perfrui liceret! * Conſpicio multa lucra & commoda: o ſi tantum tribueretur virium, ut aſsequi poſsem! * Sed indignus ſum, timeo, ne pro vita, mortem comedam! * Sed mortuus ſum: quomodo ad Deum vivum accedam? * Sed immundus ſum: quomodo ſumam Sancta Sanctorum? * Offendi, non timui Patrem meum & ad iracundiam provocavi: qua fronte veniam, ut det mihi eſcam in tempore opportuno? * Nudus ſum, ſpolians me omni virtute: quomodo non verebor intrare ad cænam? * Judas ſum, Filii Dei Proditor: contremiſco ne poſt ſumptam Corporis Chriſti buccellam, intret in animam meam ſathanas, & in damna-

tionem

tionem deducat. * Scio quid faciam: eluam pœnitentiæ lachrymîs sordes peccatorum meorum, & mundabor.* Dicam misericordi Patri: *peccavi Domine*: & transferet à me peccatum meum. * Firma fide armatus, quæram securitatem meam. * Parce Domine parce, quòd te aliquando imparatus ad hospitium cordis mei invitaverim, scopîs domum non mundaverim, quisquilias vitiorum non ejecerim! * Non imputa mihi stultitiam; quòd tuam sapientiam in hoc Sacramento non cognoverim * Esto peccatis meis propitius, dum te iturus in domum æternitatis, ultimò viaticū sumam. * Desideriô summo desidero hoc Sacratissimum Pascha frequentissimè manducare, ne famem, ùt canis in æternum patiar. * Semper in conspectu meo ponam hanc Divinam mensam; nunquam mihi hoc verius

manna

manna fastidio erit. * Invitat Salvator de Altari: *venite ad me omnes & ego reficiam vos* Corpore & Sanguine meo. *Matth.* 12. * Audiam & statim accurram. * Non præfigis tempus bonitati tuæ, ergo semper, ergo frequenter, ad sumendum Eucharisticum panem accedam * Parcite mihi, ignoscite mihi, quod mihi prosit, ego scio.

PRAXES
Pro die quinto in Via Unitiva.

PRAXIS I.
De cognitione vanitatis mundanarum rerum.

Punctũ 1mum. PUtasne te cognoscere o homo! res hujus mundi? * Penetrasne verè quid sit honor? quid

sint

sint divitiæ? quid commoda corporis? quid gloria & hominum favor? * Inquis: o si hæc conjuncta haberem, quàm felix essem! * Graviter errasti, nec intelligis, quid sit verum bonum? quæ sit vera felicitas? * Contemnis hæc omnia? crescis in virtutibus & Christiana perfectione? est tecum gratia Dei, quam peccando times amittere? jam verè felix es. * Tribuis aliquid honori mundano? fugax est, vanus est & deficiens fumus. * Attende quid *Greg. Nazian. Carm. de vitæ inter.* inquit: *Dignitatum fastus mera insomnia sunt, sermones verè alati, gloria äér, nobilitas, vetus sanguis: omnia humana, metus, risus, umbra, ros, vapor, insomnium.* * Quid ultra? en monemur ab Ecclesiastico *Cap. 7. v. 4. Noli quærere à Rege cathedram honoris.* * Ex alta turri periculosior lapsus. * Non opta subli

me

me ascendere: in humili statu securior vives, non habens tam multa, quæ timere debes. * Inquis rursum: quò sequis ditior, eò melior, potentior, securior? * Erras: Apostolus *Iacobi* 5. *v.* 2. dicit: *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra à tinea comesta sunt.* Vates Ps. 75. ℣. 7. scripsit: *Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus suis.* * Recordare, quia *dives mortuus est & sepultus in inferno.* Luc. 16. ℣. 22. *Mendicus autem portatus ab Angelis in sinum Abrahæ.* * Divitiæ fugaces sunt cum molestia acquiruntur, difficulter retinentur, cum solicitudine custodiuntur. * Spinæ sunt pungentes; retia quibûs in dolo diabolus incautos capit. * Commoda vitæ corpori placent: o quot epulones! quot deliciis dediti & ventri! quot delicati & pingues, miserè

perierunt

perierunt! * In olla deliciarum, commoditatum, mors præsentissima: quæ gulam & venerem provocant, corpus infirmitatibûs implent, animam æterna vitâ privant. * Percute delicatum corpus, austeriùs serva, temperantiam ama; & propulsabis voluptatem, ùt canem, quem, si nutrias permanebit.* Bene D. Basilius exhort: ad Baptismum: *Voluptas est diaboli hamus ad perniciem deducens.* * Deniq; gloria & vanus hominum favor, est cordi in amore? * Si glorificari cupis, gloriam despice, contemne hunc ventum, quô vivere optas. * Omnis gloria tua, quasi flos agri: egreditur è terra, & decidit * *Qui gloriatur, in Domino glorietur, ait Apostolus* 1. *ad Cor.* 1. *v.* 31. * Accipe exemplum ex Ioanne Baptista, quem omnes ùt Prophetam suspexerunt, Messiam crediderunt, ad quem Legati à Rege Herode destinati

nati erant; & præterea ſanctiſsimus erat; quem hodie vide in vinculis, conſtrictum compedibûs, in carcerem detruſum, conſpice obtruncatum. * Cogita, quid tecum futurum ſit, qui hodie in gloria & favore mundi emines? * Sperne gloriam & diſce eſſe humilis, quia & Angeli ſuam gloriam appetendo, æternam conſecuti ſunt ignominiam. * Dicis mihi: ad uſum noſtrum Deus omnia ſubjecit ſub noſtris pedibus. * Sed non ad abuſum: ideo ſub pedibus ſubjecit omnia hæc, ut omnia conculcares, non in amore cordis foveres. * Legiſti, quod ſcriptum eſt 1. Joan: cap. 2. ℣. 17. *Tranſit mundus & concupiſcentia ejus.* * Si nondum intelligis, audi Doctoris gentium ſententiam de his ad Philip. 3. v. 7. *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam IESV Chriſti: propter*

quem omnia detrimentum feci, & arbitror, ut stercora. * Quid stercore abjectius? * Cessa amare tam abominabilia.

Punctum 2dum. O quàm insipiens fui, qui non cognovi vanitatē rerum mundanarum! * Nugæ istæ & levitates decipiebant me, ut mihi placerent, propter quas reliqui vera & incorruptibilia bona. * *Cùm homo natus sit ad laborem* dicente scriptura *Job 5. v7.* ego arbitratus sum, quòd natus essem ad honorem. * Cùm sim pulvis & cinis, sub solem elevari optavi, in umbra clarior apparere, à fumo albescere. O si vel ita, mea transparuisset vilitas, ut eam cognoscerem! * Adhæsit cordi meo aurum, vestimenta pretiosa corpori placuerunt, currus, equi, famuli, argentea vasa, villæ & augusta Palatia, quàm meum affectum ad se attraxerunt! & non memini monitum

Vatis

Vatis Ps. 61. ℣. 11. *Divitiæ, si affluant, nolite cor apponere.* * Molles culcitras corpori quæsivi, exquisitè epulatus sum, semper indulsi genio; risus & solatia mundi amavi: nil cogitans de verbis Apostoli 1. *Ioan.* 2. *v.* 15. *Nolite diligere mundum, nec ea, quæ sunt in mundo.* * Gloriam hominũ, dulces blandientium laudes, fastus & titulorum speciosa nomina, ut hamalæon ventum captavi, justus & innocens vocari volui, colligendis virtutibus, incremento perfectionis Christianæ nõ institi. * Plùs mihi nocuerunt favores mundani, quàm profuerunt. * Vereor, ne mihi dicatur post mortem, *fili recepisti bona in vita tua. Luc.*16.*v.*25

Punctum 3tium: O quàm insipiens fui, ut non cognoscerem, quod mihi nocere poterat, atq; ab æterna beatitudine excludere! * Spernam omnia mundi bona, ut securus fiam Regni

cælestis hæres. * Honor meus erit, contemni pro Deo: regnum meum, servire Deo: principatus meus, esse scabellum pedum Dei. * Divitiæ meæ, conscientia pura, vita sancta & immaculata.* Subjugare pravos affectus rationi & legi, castigare corpus & servituti subjicere; juge convivium erit mihi. * Corpus meum servus est animæ, ne illi recalcitret, delicatè non nutriam; ne fiat rebelle, voluptatibûs carebit. * Traham illud ferreis catenulîs ad orandum, ad meditandum, ad opera virtutum: intret ad gloriam Sanctorum per angustam portam. * Pati & contemni prima gloria mea.* Amabo sanctam compunctionem, aspirabo ad Patriam cælestem, calcabo omne, quod in hoc mundo delectat.* Illuc perpetuò aspirabo, & opere contendam, quò creatus sum & unde exivi.

In eadem materia
De fallaciis mundi.

Punctũ imum. O Quàm fallax hic mundus est! * Multa suis amatoribus promittit assentator, parum tribuit. * Si quid offert, eripit. * Contrarius Deo, qui uberior est in dando, quàm in promittendo; ille cum juramento pollicetur, sed fidem non servat. * Inquit hic hypocrita servo suo: ego te faciam beatum, & efficit infelicem. * Ex contrariis componitur, nunquam sibi constans, semper oppositus. * Magnus in ambiendo, parvus in habendo, illustris vanitate titulorum, obscurus turpitudine morum; dives in promittendo, inops in tribuendo; suavis & jucundus in adulando, acerbus in usu. * Mundus uni dat, alteri furatur: unum operit, alium nu-

dat; hunc ſublevat, illum deprimit; hunc conſtituit ex ſervo Dominum, illum ex Domino ſervum. * Læta canit gaudia, in luctus deſinit; dulcedinem propinat, implet amaritudine; lætitiæ dolorem miſcet. * Oſtendit aliquod bonum, ſed fucatum vana nos rerum imagine ludit, puppîs velut pueros fallit. * O Protheum, in tot figuras mutabilem! o fallacem mundum! * Labora ergo, ſervi mundo, præſta promiſsis fidem, centies mutabit mercedem tuam.

Punctum 2dum. Et quare hunc fallacem ſequor ſeductorem? * Hunc ſuperbum elegi mihi Dominum, cui obſequentiſsimus eſsem, relinquens ſervitium Dei. * Deſideravi ejus bona tranſitoria & magni feci corruptibilem ſubſtantiam, quam offerebat; & contemnere debui. * Non memini fallaciarum ejus, nec revocavi in memo-

riam

riam, tot exempla deceptorum. * Placuit oculis meis hæc veluti magnifica Nabuchodonosoris statua, quam fallax fabricavit mundus ex auro, ære & argento, ut me divitiîs deciperet, quæ omnia pariter contrita sunt & in pulverem versa. * Non consideravi, quomodo omnia in mundo operta tenebris, ut non cognoscam fraudes; omnia obsessa laqueîs, ut me circumveniat; omnia vanitas & afflictio Spiritûs. * Clamabat Prodheta *Ps.* 4. *v.* 3. *Filiî hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* ego tamen aures obturabam & totis viribûs adhæsi seductori.

Punctum 3tium. Non eludet me ampliùs hic deceptor sua vana pulchritudine, suis transitoriis bonîs, falsis promissîs: * Expediam me ab amore ejus, fastidio mihi erit omne convi-

vium

vium ejus, ut perfruar deliciîs cæli.* Ejiciam hoc idolum ex corde, ut præparem locum Deo. * Non credam dulcedini illius, *nam amara sunt, quasi absinthium novissima ejus Proverb.* 5. *v.* 4.* Nolo, ut mihi præsit hic superbus & dolosus Dominus, cur abo in mundo supra mundum esse. * Rejiciam impia istius Achitopelis consilia, nec conformabor huic sæculo.* Attendam diligenter & considerabo, quomodo amatores mundi riserunt, dominabantur, byssô & purpurâ vestiebantur, superbiâ elevabantur, gemmîs & aurô ornabantur, luserunt, in bonis dies suos duxerunt; nunc autem, nisi vermes & cineres reliquerunt veram mundanæ vanitatis appendicem: *periit memoria eorum cum sonitu: in puncto ad inferna descenderunt.* * Revocabo in memoriam Amanum, quô quis gloriosior? jura gentibus dictat,

cuncti

cuncti ei obediunt, in regali convivio sedet, cum Rege & Regina cænat, sed mox finita fallaciarum scena, dum rapitur ad patibulum. * Dicam cum Davide *Ps.* 144. *v.* 13 *Non est, nisi Deus noster fidelis in omnibus verbis suis.* * Ergo vale deceptor! valete fallacia mundi bona!

In eadem materia.

Nemo fruitur DEO, qui est amator mundi.

Punctũ imum. DUos amatores habes o homo: bonum & & malum, veracem & mendacem, nempe Deum & mundum. * Uterq; se tuæ mentis oculis insinuat, uterq; stat ad ostium cordis tui & pullat, uterq; vult amari, uterq; acceptari: * uterq promittit, uterq; tribuit: mundus regna

terrestria

terrestria & sublimia, opes & potentiam, vitam prosperam & Principum amicitias; gloriam & populi plausum: o quàm speciosa & apparentia vitra! sed quàm fragilia! quàm fallacia! Deus dat divitias & gloriam in domo sua, cælum & cælestia, vitam æternam & se ipsum, qui est salus populi, pax & spes nostra, principatus noster, omne bonum nostrum. * Sed utroq; nemo frui potest. * Nemo uno oculô cælum, altero terram simul intueri valet. * *Qui vult jocari cum diabolo, non potest gaudere cum Christo.* * Ista duo contraria sunt: ancilla & libera, lux & tenebræ, Dagon & Arca, Christus & Belial; sese invicem expellunt, simul cohærere non possunt. * Cælum & terra nunquam cóeunt. * Unum cælum duos soles, unum regnum duos Reges non patitur: in uno diversorio, hi duo non commorantur hospites. *

Nemo poteſt duos ultimos obtinere fines. * Homo ad unum creatus, nempe ad Deum, non poteſt ſimul alium conſequi. * Deus & mundus ſunt duo termini maximè, immò infinitè inter ſe diſtantes: impoſsibile eſt, ut quis utrumq; teneat.

Punctum 2dum: Et cur ego ita imperſuaſus fui, ut utrumq; hunc amatorem admittere vellem, utrumq; ſimul conjungere, utriq; placere curaverim? * Non ſum recordattus verborum, quæ dixit Apoſtolus *ad Gal.* 1. *v.* 10. *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* * Donabat mihi Deus panem, mundus lapidem, & volui pane & lapide ſaturari: Deus me gratiâ operiebat, mundus centonem confuſionis aſſuebat, & conatus ſum gloriæ & ignominiæ veſtimentô indui: ille vitam, hic offerebat mortem; ille æterna, hic corruptibilia; ille cæ-

li gaudia, hic spurias terræ voluptates: & ego tam insipiens fui, ut utrisq; locum apud me pararem. * Vocavit me Deus ad se, ut me reficeret & mansionem apud se pararet, invitavit & mundus, ut interimeret, & in inferno sepeliret; & ego à mente tam alienus fui, ut hæc opposita componere vellem. * Utriq; placere, utriusq; favores expetere cælestibûs ac terrenîs perfrui me posse simul, mihi persuadebam.

Punctum 3tium. O quàm graviter erravi! duorum dominorum obsequia præstans cùm attestante veritate. *Matth.* 6. *v.* 24. *Nemo potest duobus Dominis servire, Deo & mammonæ.* * Non legi forsitan *Ps.* 33. *v.* 11. quòd illi, quos ditavit & pavit mundus, *eguerunt, esurierunt; inquirentes autem Deum, non minuebantur omni bonô.* * Volui me satiare hîs, quæ naturæ meæ

discon-

diſconveniunt; bos paleîs & equus nutritur, non terrâ, ſicut ſerpentes: anima noſtra cùm ſit ſpiritus, non ſaturatur corporalibûs. * Anima, vas eſt Ipſius Dei & rerum Divinarum capax, quomodo implebitur his vanitatibûs, quæ ſunt extra Deum? * Et ego delirans, ſatiari mundô conatus ſum. * Veniam jam ad Deum fontem vivum, & deſeram ciſternas diſsipatas, quæ non valent continere aquas. * Solus Deus ſufficiens eſt replere in bonis deſiderium meum, ergo abjiciam ſæcularia deſideria. * Finis meus, centrum meum Deus eſt, ergo in illo ſolo quieſcam. * Nullum amatorem præter ſolùm IESVM admittam.* Cantabo Domino ſemper Pſ. 72. v.28. *Deus cordis mei & pars mea, Deus in æternum.* * Ejiciam idola de domo mea, conteram Dagonem & Belial, ſolus Deus, Deus mihi erit.

PRA-

PRAXIS II.

De Gloria Cœlesti.

Punctū I mum: REgum & regnorum splendorem, hortorum & florum pulchritudinem, opum & titulorum claritatem, Solis & Lunæ celeritatem, motuum cæli regularitatem, totius Vniversi miraris amplitudinem? mirare potiùs regni cælorum, eorum magnificentiam, divitias, felicem immortalitatem & immortalem felicitatem.* Illa transeunter ad usum tantùm homini concessa, ista immobiliter in hæreditatem æternam tribuenda. * Mirare duntaxat illa gaudia, quæ nec ore deprædicari, nec calamô describi possunt: ineffabilia sunt. * Consule Paulum & dicet tibi: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; quanta Deus præparavit*

vit diligentibus se. 1a *Cor.* 2. *v.* 9. * Oculus amplissimas urbes & altissimos montes, cælum & luminaria ejus capit: plùs auris percipit, præsentia, præterita & futura: longè his capacius cor, quod & humana & divina comprehendit; gloriæ tamen beatorum magnitudinem, dulcedinem, pulchritudinem, nec oculus, nec auris, neq; cor comprehendit. * Interroga Davidem, & responebit tibi: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! Ps.* 30. *v.* 20. Quàm ampla, quàm ornata, quàm dives, quàm pulchra illa civitas Hierusalem, quam expectamus! non explicatione, sed admiratione opus est. * Quis curiosum satiavit oculum visu? aurem rerum delectabilium auditu? cor & animam appetitu bonorum? In cælo *satiabor cùm apparuerit gloria tua Domine Ps.* 16. ℣. 15. * Ibi insatiabilis implebitur appetitus

petitus: cùm cor, auris, et oculus deliciîs cæli immergetur. * O immensam et incomprehensibilem justorum felicitatem! in qua intellectus percipit omne verum, voluntas habet omne bonum sine ulla admixtione mali. * Bonum posside, cui nihil deest, cui nihil additur, quòd non sit bonum; bonum simplex et perfectum, bonum summum, quô non datur majus, nec meliùs, quô cuncta bona sunt. * Deus est ipse unus in Trinitate, & Trinus in unitate, qui beatificat, infinitus est in sua bonitate, pulchritudine, dulcedine, & ideo comprehendi nequit. * Deus est major corde nostro, cognitione nostra intelligentiâ nostra, quomodo igitur vas exiguum, totum capiet Oceanum? * O felix jucunditas, o jucunda felicitas! Deum videre & Deum habere in æternum!

Punctū 2dum: Quis ita depravatos

ſenſus habet, ut non cognoſcat illius gloriæ magnitudinem? * Cujus linguam ſic corrúperat vitiorum febris, ut non percipiat illius dulcedidinis ſvavitatem? * Eſtne adhuc, qui deſerat torrentem voluptatis, quô nos potat Dominus, & convertat ſe ad turbidas mundi aquas? * Eſtne, ſic mundanus homo, ut quærat vilibus paleîs, aut porcorum ſiliquîs paſci; ventô gloriolæ cujuſdam inflari; omiſſo pane ſuaviſsimo de cælo, cibô illo inviſibili, quô Angeli & Beati æternùm perfruuntur. * Meliùsne cui placebunt ſordidæ Ægypti cepæ, quàm lac & mel in terra promiſsionis? * Vagabiturne aliqua anima per devia terræ, quærens multa corruptibilia mundi; cùm omnia æterna bona in uno Deo habeat? * An aliquis tanta, ùt ſolent vani homines ſolicitudine quæret gaudia mundi, inter hoſtes veram pacem, inter flu-

ctus tranquillitatem, in tempestate serenitatem, in absinthio dulcedinem: omissa illa Patriâ, ubi nullus hostis, pax secura, vita amabilis & jucunda, gaudium vincens omne gaudium, felix æternitas, & æterna felicitas? * Nollem quempiam tam insipientem, tamq; inconsultum esse.

Punctum 3tium: Quousq; te non cognoscam lumen meum Domine? quousq; te non amabo amorem meum?* *Tota merces est in videndo, quod amas; & in amando, quod vides, inquit S. Aug. Lib. 1. de Trinitate Cap. penult.** Non desiderabo aliam pulchritudinem; Deus pulcherrimus est: * Non amabo aliam bonitatem; DEUS summum bonum est. * Non gustabo aliam suavitatem: quid enim suaviùs infinita dulcedine? * Omnia extra Deum nihil sunt, omnia vanitas & afflictio spiritûs; solus Deus, pax, gaudi-

um

um; solatium cordis. * *Quàm dilecta tabernacula tua Domine! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini:* suspiro cum Vate Regio *Ps.* 83. *v.* 2.* O quando veniam ad fontem dulcedinis de terra deserta & amaritudine mnndi! * Sitio Domine te fontem vivum: inebria me ubertate Domûs tuæ! * Quando Domine venies visitans me? quando apparebis illuminans me? * O præclara dies non habens noctem, quando mihi exorieris, ût te videam? * Quando audire merebor illa desiderabilia verba: *Euge serve bone intra in gaudium Domini tui Matth.* 25. *v.* 21. * Vsquequó dulcissime amor tædiô afficies animam meam? quando intrabo in terram viventium, in ubertatem Domûs Dei, ut te videam beatitudinem meam? quando videbo hanc visionem grandem? * Tædet animã meã vitæ meæ!

quamdiu jactabor in fluctibus maris hujus mundi? * Quis me continet in corpore mortis hujus? * Exaudi Domine, citò exaudi clamantem: *cupio dissolvi & esse cum Christo.*

In eadem materia.

Quòd illa gloria non obtinetur sine labore.

Punctũ imum. QUàm exoptanda omnibus cælestis Gloria! quis enim hoc, quod est omne cogitabile bonum sine ullius admixtione mali non optaret? * Reperiasne unum, quẽ illæ supernæ deliciæ non invitarent? * Bene est, quòd placet cælum, sed priùs displiceat terra. * Bene est, quòd animus ad DEVM creatus, tanquam ad suum tendit finem; sed non convertatur ad creaturam, nec in illa frivolè quiescat. * Bene tandem, quòd illa requies sempiter-

na amatur; ſed in vita pro illa obti. nenda ſerius labor reſtat. * Delectet mentem magnitudo præmiorum; ſed non deterreat certamen laborum. * Putasne otioſis & dormientibus venire Regnum cælorum? minimè. * Datur requies æterna, laborantibus: offertur beatitudo ſervis, cùm Dominus venerit, vigilantibus. * *Inquit Christus apud Auguſtinum in Pſ. 39. Regnum cælorum venale habeo: quærit S. Pater: quô emitur?* *& mox reſpondet paupertate regnum, dolore gaudiũ, labore requies, vilitate gloria, vita morte.* * En gratìs non obtinetur præmium! * Cum Patriarcha Iacobo reclina in lapide duro caput, proculdubio cælum tibi patebit, quod & Stephano inter crepitantia morienti ſaxa apertum eſt. * *Certa & ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ Paſſionis: exponit*

Leo illa Apostoli verba: Si compatimur & conglorificabimur. Rom. 8. v. 17. Adverte Leonis sententiam: non probabilis expectatio, non fallibilis; sed certa & secura, si Christum in patiendo, in laborando imiteris. * Mercedem optas? sustine laborem. * Coronam expectas? absolve conflictum: *nam non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit, 2. Thim. 2. v. 5.* * Aurum mundum in sancta Civitate posside re satagis? ignis te purificet. * Si Dii laboribûs omnia vendunt: à vero Deo eme labore cælum.

Punctum 2dum. Quid hic statis tota die otiosi! arguit nostram ignaviã Christus *Matth. 20 v. 6.* Quid hìc in terra, tota die, tota vitâ dormientes, non vigilatis? * Quid est? quòd cùm dies est, otiamini, & cũm nox venerit, operari non licebit? * O quanta nostra ignavia! regnare volumus? pati & laborare

borare nihil. * Delicias cæli gustare concupimus? austeram vitam, jejunia, corporis afflictiones modicas abhorremus. * Honorari cũ Sanctis summo nisu desideramus, et contemni pro Christo refugimus. * Nôstis, quam causam perditionis, & à gloria æterna exclusionis Sodomitarum Ezechiel memorat? legite *caput* 16. *v.* 49. *Superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius.* * Renuis modestè de te sentire? tuam vilitatẽ magni æstimas? elevaris inflatus? decides in ima inferni. * Ludis & epularis, semper satur, nunquam jejunus, nunquam temperans & abstemius? ad cænam & convivium Beatorũ non invitaberis. * Piger & desidiosus, aleâ cõviviolô, ludîs, somnô tempus pretiosum perdis? non laboras? non proficis in virtute? non oras? non gravaris? otium te sicut Sodomam perdet: non venies in sempiternam requiem. * Vo-

cat Deus in vineam suam? sed operarios, non pigros [solvit mercedem? sed iis, qui portaverunt pondus diei & æstûs: invitat ad reficiendum omnes: *venite ad me?* *Matth.* 11. *v.* 28. Sed eos, qui laboraverunt & onerati sunt. * Inquis mihi: ingentibus affligor doloribûs: non condole, nam te expectat æterna voluptas. * Multa me opprobria premunt: non turberis, longè plura opprobria tulerunt Sancti & injurias, qui modò honorificati sunt in cælis. * Juratos hostes habeo: ama eos, & bene fac illis, qui te oderunt: sunt enim tibi scabellum, per quod ad cælos ascendes. * Voluit Deus adorari crucem, non abjici, voluit eam ab omnibus portari tanquam symbolum exaltationis. * Fatigari non vis sublimem ascendendo montem? ergo non ascendes: non vis tribulari, compati? ergo

non glorificaberis: non vis te temperantiæ & jejuniis concedere? ergo non epulaberis: non vis deniq; cum tentationibus fortiter pugnare? ergo non triumphabis.

Punctum 3tium. Absit á me Domine, ut fructum laboris desiderem, & laborem fugiam! * Curram & ambulabo per vias rectas, & curram hoc stadium usq; ad defatigationem; ut sedeam in sede Beatorum: qui sic currebant, ut summum bonum comprehenderent. * Scindam aratrô terram, hoc est corpori meo voluptatẽ non dabo, in servitutem illud redigam, verberibûs affligam, seminabo bonum bonorum operum semen, ut messem æternæ gloriæ colligã. * Aspiciens Ioannes magnam in cælo turbã, audivit à Deo vocem: *hi sunt, qui venerunt de magna tribulatione Apoc. 7. v. 14.* Vt his annumerari dignus inveniar

veniar: tribulari omnibus modis non verebor. * Legi; quid scripserit Paulus *Hebr.* 11. ℣. 36. enumerans sanctorum angustias: *Ludibria & verbera experti; lapidati sunt, secti sunt, mortui sunt, egentes, angustiati, afflicti:* nunc autem honorati, gaudentes, vivunt vitâ æterna, nullius indigent, neminem timent: Ergo me ad cruces & patibula, ad probra & ignominias resolvo, ut post momentaneum tribulationis pondus æternum gloriæ levamen recipiam. * Recogitate hæc deliciis terrenis assveti, qui nihil pati vultis!

In eadem materia

De securitate cælestis gloriæ.

Punctũ imum. NIhil in mundo est stabile, nihil perpetuum, omnia commoventur, omnia conturbantur. * Monet Apostolus 1. *Ioannis* 2. *v.* 15. *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ*

sunt

ſunt in mundo. verſu autem 16. inquit: *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ:* totum hoc, quod caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, quod oculi videre ambiunt, quod hominem ambitioſum efficit, corruptibile, mobile eſt. * Ideo idem Apoſtolus *v.* 17. fortiùs perſuaſurus odium & contemptum mundi, ait: *mundus tranſit & concupiſcentia ejus.* * Efficacia hæc ſunt motiva ſpernendi mundana; ſiquidem non permanent. * Expreſsiùs delineavit totam mundanarum rerum inſtabilitatem Propheta Baruch qui *Cap.* 3. *v.* 16. quærit: *ubi ſunt Principes Gentium, qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram? qui avibus cœli ludunt? qui argentum theſauriſant & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorùm?* Deniq; ſibi reſpondet: *exterminati ſunt*

ad inferos descenderunt, & alii locò eorum exsurrexerunt. * En in constantiã, mutabilitatem omnium, quæ nos delectant in mundo! * Quantò autem minùs secura sunt hæc transitoria bona, tantò securior est gloria æterna. * Vivo in præsenti, sum dives & honoratus, omnes me adorant & timent: sed non sum certus, an cras sum victurus: an cras miser non indigebo opis alienæ: an non despectus fiam, an non ab omnibus derelinquar. * Omnia hæc finem sunt habitura: sola cæli gaudia nunquam excident. * Qui bibit ex aquis mundi, iterum sitiet; qui bibit ex aqua, quam Christus dat, non sitiet in æternum. * *Qui seminat* bona opera, *accipit fructum, & congregat in vitam æternam. Ioan. 4. v. 36.* * Quoties Salvator noster meminit rerum terrenarum, aut vitæ cælestis; toties illas corruptibiles & temporane:

as appellat, illam autem fore æternam denuntiat. * Cui credemus, si non Verbo fallere et falli nescio? * Exponit *D. Aug.* securitatem Gloriæ cælestis: *in Ps.* 41. inquiens: *Festum ibi sempiternum, lætitia sine defectu: non enim ibi celebratur aliquid, & transit.* * Amplioribus exponit verbîs illam perennitatem *D. Anselm. Lib. simil. 6. c. 16. In cælo est vita sine morte, juventus sine senectute, sanitas sine infirmitate, requies sine labore; gaudium sine tristitia, pax sine discordia, lux sine tenebris, delectatio sine fastidio.* * Compara hæc omnia devota anima, quæ etiam, falsò tamen pollicetur tibi mundus, cum his quæ pro meritis bonis in præmium recipis à Deo!

Punctum 2dum. Placebuntne cordi hæc, quæ transeunt, corrumpuntur, annihilantur, præ illis quæ permanent, quæ æterna sunt? * Meliùsne sapient

gustui amaræ mundi aquæ, quæ citò dilabuntur; quam dulcedo fontis in vitam æternam salientis, qui tota æternitate non deficit? * Avertamne oculos ab illo sole, qui semper exorijtur jucundus, & nunquam occidit, quos converterem in fatuos terræ ignes, quorum lux et splendor in tenebras desinit?* Novi quoniam *fulgebunt justi, quasi splendor firmamenti in perpetuas æternitates. Dan. 12. v. 3.* terrena autem omnia, quæ vano jubare refulgent, extingventur.* Ergone deseram justorum semitam, *quæ quasi lux splendens procedit, & crescit usq; ad perfectũ diem*; et potiùs ingrediar *viam impiorũ tenebrosam, qui nesciunt ubi corruant? Prov. 4. v. 18.* * Erigamne mihi urbes et superba palatia in terra, quæ deserenda erunt, quæ corruent, solo æquabuntur; et non impendam omnes vires ad comparandam mihi supernam Ie-

rusalem

rusalem, in qua in æternum habitabitur, quæ in æternum permanebit?

Punctum 3tium. Non faciam Domine, ut pro incorruptibilibus et sempiternis, adhæream corde rebus corruptibilibus et transitoriis! * Absit! ut appetam hæc mortalia, illa quæram sola, quæ nunquam interitura sunt. * *Scio quòd velox imminet tabernaculi mei depositio,* sicut Petrus in sua Epistola 2. *Cap.* 1. *v.* 14. loquitur: scio, quòd vitæ humanæ dies breviter pertranseunt: ergo vitam, quæ certò est permansura, temporali contemptâ maximo curabo conatu. * Vanum mundanarum rerum splendorem, qui oritur et occidit, abnegabo: hæc perpetua lux, de qua *Esdras Cap.* 4. *v.* 2. pectori et animo inerit. * Non in gaudiis mundi, quæ luctus terminat, spem ponam: sed in illis, de quibus *Isaias Cap* 65. *v.* 18. *Gaudebitis & exultabitis usq; in*

sempiternum

ſempiternum. * Non fulciam inſtabilibus columnîs felicitatem meam, quæ eſſet caſui obnoxia, pro illa operabor beatitudine juſtorum, in qua conſiſtunt firmi, de ſua ſorte certiſsimi.* Adjuva Domine imbecillitatem meam, ut me plenè expediam ab amore terrenorum, et quod pollicitus ſum, perficiam.

PRAXIS III.

De dono Perſeverantiæ.

Punctū imum. LEgi apud Didacum Niſſenum, quòd Deipara Virgo MARIA obtulit Baſilio magno librum inſcriptum: *Dic in finem.* Nam dicta et facta licèt optima ſint, ſi ad finem non perdurant, quid proficua ſunt? * Facis bona opera pro gloria Dei; fac in finem: dicis veritatem nulla admixtam fraude, tunc cùm

opus

opus fuerit? suades meliora labentibus, vel ab iniquis revocas viis? suade, revoca, dic in finem. * Instas orationibus & eleemosinis? subis afflictionem corporis? laboribus te accingis? insta ad finem, sine intermissione labora. * Et non dicta, & infecta habentur, quæ non perducuntur ad finem. * Qui dicendi & benefaciendi finem facit priùs, quàm vitæ, veluti nihil fecerit, aut dixerit. * Qui sibi non satis constans est, qui à bono incæpto cessat, aut hæsitat; *similis est fluctui maris, qui à vento movetur; & circumfertur*; inquit Apostolus *Iacobi* 1. *v.* 6. * Noli ad quemvis ventum moveri, sta in sanctis propositis immobilis. * Voluit Deus hominē nasci ad laborandum & ideo duabus adauxit manibûs: ergo manus meæ non quiescant; semper aliquod salutare negotium operentur usq; ad

finem vitæ. * Adversarius noster diabolus minimè timet initium boni operis; tunc tunc se desperatū deplorat si in bono perseveras. * Non pudet eum, si vincatur in principio: si in fine debellatur, extrema ignominia ejus. * Et ideo omnem industriam adhibet, omne robur impendit, omnem, ut dicunt, lapidem movet, ut in fine vincat. * Parum curat si ab initio laudabiliter vivas; dum ad finem sic permanes, ringitur & tabescit. * Quandoq; permittit sibi ictum infigi, dummodo in fine non conficiatur, sed animam lethaliter transfigat. * Si decipit in fine, æternum triumphat. * Omnia studia, vigiliæ, solicitudines, quibûs te fatigâsti; atq; membra extenuâsti; quid prosunt, si ad finem tam salutarè negotium non perduxisti? * Illi pretiosi virtutum thesauri; uno

perduntur momento, pro quibus colligendis, ingentibus laboratum curîs.* Quæ gloria, si prosperè semper navigans, in portu naufragium pertuleris?

Punctum 2dum. O quàm multis contigit, ut bene inciperent, finirent malè.* Iudas primò Christi Apostolus, tandem fur & proditor Domini sui. * Saul initio inter Prophetas; tandem à malo spiritu correptus, pessima morte peremptus est, cùm non perseveraverit. * Quæ utilitas si initio veris reflorescant plantæ, cùm mox rigente gelu, nullos germinent fructus? * Risum duntaxat & subsannationem movet, qui cæpit ædificare, neq; consummavit. * Fateor, quòd aliquando bonis steterim operibus, sed à benè cæptis cessavi. * Movi manum à tabula, ubi jam prima lineamenta, sanctæ occupationis jecerim.*

Factus sum epistola Dei, sed eam erronea inscriptione adulteravi, indigno sigillô corrupi, & iterum factus sum opprobrium cæli, lætitia diaboli.* Cantabam ovans, cùm quid perfecti inchoarem, acsi jã opus consumâssem.* Triumphabam in exordio pugnæ, quasi verò jam hostem debellassem.* Gavisus sum, quando alicujus laudabilis facti iter ingrederer, acsi in termino consisterem; ubi maximè sollicitus debui esse, ut ad metam pervenirem.* Cùm aliquam primam tentationum turmam sternerem, erigebam trophæa, non prævidens ultimam turmam fortissimam, quæ plurimos subjugavit.

Punctum 3tium. Multa sunt beneficia tua Domine, & magna quibûs me indignum cumulâsti, quorum enumerationem & exagerationem aggrediens animus meus penitus deficit.* Creâsti me ex nihilo, quòd homo sim;

vocâſti ad gloriam, ut beatus fierem in æternum; hoſti ex vinculis eripuiſti redimendo captivum, ut libertate donares; conſervâſti hucuſq;, & media ut tibi ſervirem, & animam meam ſalvarem, providiſti. * Multa prorſus & magna beneficia tua! * Dona adhuc perſeverantiam, ut tua dona comple-as, & opera mea corones. * Si datis abutar gratiîs, ſi eas ad ſanctum non perducam finem, quid mihi prodeſt, quod eas habuerim? * Donâſti Domine, ut ad te aſsequendum currerem, dona, ut aſsequar, neq; ante metam deficiam. * Projeciſti me in ſpatioſum hujus mundi & periculoſum mare: navigo inter fluctus, ſcopulos evito & te largiente vinco, nondum enim naufragium pertuli: timeo ne in portu vitæ ſubmergar, ſicut multi perierunt: ergo non denega gratiam, ne mihi quoq; tantùm contingat in-

fortunium, quô non datur pejus. * Dedisti mihi manus ad operandum, & pro modulo meo non cessavi ab operibus bonis & corporis fatigatione: sucurre tamen, ut instanter operando aliquando non deficiam. * Proposuisti media, quibûs te possiderem; quæ te ipso benedicente arripui; fac misericorditer, ut non dimittã donec te comprehendam.* Inter viatores me computâsti cum cæteris; curro, sed nondum in Patriam perveni: ergo adjuva cælesti auxiliô peregrinantem, quatenus sic currat; ut comprehendat, nec deficiat progrediendo, nec bravium amittat. * Aliàs, adhuc Te teneo, quia Tu tenes me, ut me sibi vanitas non usurpet: igitur non dimittam Te, donec benedixeris mihi: ne & ego à Te separer, & Tu à me. * Dona misericors Domine perseverantiam,

am, quæ mihi primò & maximè est necesſsaria.

In eadem materia.

Quòd ſola perſeverantia coronatur.

Punctū imum. ACcingis te duris laboribus, pro obtinedo incorruptibili præmio; ſtrenuè decurris viam mandatorum Dei, ut coronam recipias; Studes diligenter humilitati, ut ad ſuperna eleveris; * Compateris Chriſto, ut cum illo conglorificeris; * Orationibus frequentisſsimis tempus impendis, ut impetres, quod poſtulaveris; * Pulſas vigilias agens ante januam cæli, ut tibi aperiantur portæ æternales: * Temperanter vivis & abſtinentias frequentas, ut epuleris cū Sanctis; * Quæris ſapientiam Dei in terris, ut cognoſcas in cælis; * Contemnis

mnis vanitatem mundi, & ipſe contemni gaudes, ut æterna promerearis, & honoreris: * Bene omnia facis: ſed modo primùm incipis eſſe ſervus Chriſti: * His & aliis majoribus virtutibus unam ſuperaddas neceſse eſt, perſeverantiam. * Hac, ſi carueris, totus theſaurus perit, quem tanto ſudore comparaveras: pretium animæ tuæ vileſcet, nudaberis omnibus ornamentîs quæ ſedulò conquiſiviſti. * Ah utinam nemini tantũ dedecus contingat! * Vtinam qua viâ ire cæptum ad Patriam noſtram, eadem conſtantercurratur, donec ad terminum beatitudinis perveniatur! * Non ille, qui opus ſanctum ſtrenuè aggreditur, bravium accipit, ſed qui obſtinato ad bonum animô eâ quâ ſuſcepit conſtantiâ opus pium perficit. * Illa virtus meretur triumphos, quæ ante ſupremum

anhelitum non fatiscit, non remittit. * Non cùm bene incæperis exulta sed cùm sanctæ vitæ immortuus fueris. * Nam eruditè *S. Hieron.* *Ep.* 10. *ait Non quæruntur in Christianis initia, sed finis.** Paulus non benè cæpit sed benè finivit, prout de se 9. *Tim.* *v.* 7. testatur: *bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* * Constituta est certa dimicantibus remuneratio, sed victoriæ consumatæ. * Omnes equidem virtutes currunt ad possidendum Deum, sed sola perseverantia pervenit & bravium accipit. * Bene *Simon de Cassia Lib. in Evang. Cap. ult. perseverantiam omnium virtutum & bonorum, ultimum ornamentum appellat.* * Hæc est decentissima Christianarum actionum obsignatio.

Punctum 2dum. O quam malè sibi

providen

providents qui ultimum finem non prævident; initia respiciunt, ad finem non perseverant! * Nôsti? *quid Tertulianus Lib. adv. hæret Cap.3. scripserit: Nemo sapiens est, nisi fidelis; nemo major, nisi Christianus; nemo Christianus, nisi, qui usq; ad finem perseveraverit.* O quoties ego insipienter processi; dum fidem & fidelitatem Deo non servavi! * Non vis stultizare & insipiens esse? esto fidelis usq; ad mortem. * Non vis nomen Christiani amittere? ad finem in perfectione Christiana persevera. * O quoties has regulas transgressus sum! sæpe incipiebam agere bene, & non per. feci; putans totam perfectionem in principio non in consummatione boni operis consistere. * Quoties aliquo pietatis ardore incalui ad progressum in virrutibus, ad deponendos vitiosos habitus! & rursus ad frigiditatem

pristinam

priſtinam reduxi me. * Non attendi ad ea, quæ *Philo Carpathius Lib.* 5. *in Cant.* annotaverit: *multorum eſt incipere; paucorum admodùm bene cæpta finire.* * O utinam currerem inter paucos: ſed ego pluralitatem amavi. * Cum multis ampliſsimam ingreſsus ſum viam, quæ ducit ad perditionem; abhorrui inter paucos arctam terere, quæ ducit ad vitam. * Ita inconſtans fui, ut cùm multa bene agenda propoſuerim; nihil ſervaverim: cùm ſtatuerem peſsimas vias relinquere, vitioſas deponere conſuetudines, & fædifragus fierem.

Punctum 3tium. Imploro à Divina miſericordia perſeverandi donum, ut bene faciens non deficiam aliquando.* Oro Deum ſupplex, ut me igneæ efficiat naturæ in inſtando bonis operibus, in curando perfectionis Chriſtianæ ardore: ignis enim ſuæ impul-

ſu

ſu naturæ, tamdiu ſurſum contendit, donec in ſua ſphæra conquiſecat. * Hodie ſacra exercitia animoſè inchoare & ardenter incaleſcere Divinis ſermonibus, & poſt cras langueſcere, frigidè executionem ſanctorum propoſitorum procurare: eſt in vanum laboraſſe, eſt in vanum exarſiſse. * Tales ignei impetus non aſcendunt ad Empirei cæli ſphæram. * O quantum meo deeſsem bono, ſi quotidie ad defatigationem laborarem, mors tamen otioſum me inveniret! * Non quieſcam Domine, niſi in te! * Satuo quia ſalutare opus incæptum perficiam. * Fero legem Divinam in anima mea, quæ me urget ad ſemper bene operandum: ergo non declinabo, neq; ad dextram, neq; ad ſiniſtram.* Neq; adverſa, neq; proſpera me à ſanctis propoſitis ſeparabunt. * Ingrediar viam rectam, & continuò curram,

fatigari

fatigari nō metuam, ignaviter non subsistam, donec illuc, quo tendere obligor perveniam. * Continuabo opus bene cæptum, non fiam mutabilis, ut luna donec inveniar in claritate luminis gloriæ, in quo videam & amem Deum in æternum. * Exemplô Davidis, *erunt semper oculi mei ad Dominum, donec misereatur mei. Ps.* 121.

In simili materia.

Quòd semper progrediendum est in virtutibus.

Punctū primum. QUamdiu vivimus in corpore, tamdiu viatores sumus: ideo viatorum more in virtutibus prōgrediendum restat. * Si peregrinus retrò redit, elongat se à termino intento: si subsistit, retardat adventum suum: Christianus decurrens viam mandatorum Dei, si declinat ad

creaturam

creaturam, longè est à Creatore, si hæret nec proficit, non approximat Deo. * Spernis vanitatem non revertere ad eam; sed esto fidelis usq; ad mortem. * Hæc est vera sapientia amare virtutem, & quærere: ergo in illa *maneas sicut sol*, qui semper lucet, quamvis non continuò videatur lucere: *nam stultus mutatur ut luna Eccl. 27. v. 12.* *Admonet Paulus Thess. ep. 2. Cap. v. 13. Nolite deficere benè facientes*: qui autem in virtute ultra non proficit jam deficit. * *Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usq; ad perfectum diem. Prov. 4. v. 18.* non subsistit, non hæret. * Optas, ut viæ tuæ non sint tenebrosæ, vel ad occasum tendentes? ergo luceat lux tua, ut videat Deus bona opera tua, & sic luceat, ut crescat usq; ad illum perfectum in lumine gloriæ diem. * Sit felix initium, sit fervor in

progressu

progressu, sit in fine perseverantia.* Prosperè procede à bono in melius, à meliori ad optimum. * Crescas in perfectione, sicut cedrus Libani, quæ semper crescit, neq; ad senectam pervenit. * Ascende in virtutibus, ùt palma, quæ quò annosior, eò fructibûs uberior. * Rutilas, ùt aurora, progredere, ut luceas splendore lunæ, Est tibi lux lunæ, quære lumen solis. * Benè ad hanc rem *Sanctus Leo sermone* 8. *de Pass. Dom. Quantumcunq; quis justificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est quo probatior esse possit & melior.* * Piam ducis vitam? adhuc contemne vanitatem mundi? hanc contemnis? adhuc contemne te ipsum? contemnis te ipsum? dilige proximum: hunc diligis parce inimicis & bene fac illis, qui te oderunt: hoc facis? respice Deum, & contemplare divina: aliàs *qui est*

justus

justus, justificetur adhuc, qui est sanctus, sanctificetur adhuc. Apoc. 22. v. 11. * Sic ipsa natura hominem dispoluit, ut organa antè poneret, non à tergo, ut semper in operationibus procederemus: respice manus & pedes, oculos & aures, gustum & olfactum, infer tibi consequentiā ab operatione co porali & materiali ad spiritualem.* Venit Deus & misit ignem in terram: non aquam, quæ semper terræ adhæret, ignis semper ascendit nunquam quiescit, accendaris igitur, æstu christianæ perfectionis ardeas, ùt ignis, qui nunquam dicit; sufficit.

Punctū 2dum. O quoties misi manum ad aratrum, sed rursus respiciebam retrò! quoties bene cæpi, sed vel hæsi vel non perfeci. * Sæpe multa bona proposui, sed nihil servavi: * Steti aliquando, sed non firmiter, ideoq; cecidi: * Declinavi in hanc

hanc & in illam partem, nunc ad dextram, nunc ad sinistram. * Oravi nonnunquam, sed non ita, sicut illi perfecti Christiani *Act.* 12. *v.* 5. *qui orabant sine intermissione.* * Progrediebar, sed quiescebam. * Nunquam fixi radicem in bono incæpto. * Florere cæpi, sed ad fructus gignendos non properavi. * Cùm aliquod bonum opus aggressus sum, existimavi jam me in culmine perfectionis constitisse; non recordatus admonitionis Divinæ *Lucæ* 17. *v.* 10. *cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite servi inutiles sumus:* Ego è contra gloriatus sum: quod debui facere, feci. * Huc pertinent *S. Hieronymi verba in* Ezech. *Cap.* 43. *v.* 17. scribentis, *quantocunq; studio ad altiora ascendere poterimus, in inferioribus nos putemus collocatos & cogitemus illud*

*Psalmistæ: ibunt de virtute in virtutem.** Sæpe cogitavi jam me eſse adultum, & tamen omnes debemus effici ſicut parvuli, ſi cupimus aſſequi Regnum cælorum, quod ſe ab elatis elongat, qui ſe arbitrantur illi propinquiores eſſe. * Parvuli ſive dormiunt, ſive vigilant, tacitis proficiunt augmentîs: verus Chriſtianus debet fieri ſicut parvulus, ut omni vitæ ſuæ tempore creſcat, donec ad ſummum Cæli perveniat. * Illos enim duntaxat beatos vocat David *Pſ.* 118 ℣. 1. *qui ambulant in lege Domini;* non illos qui ſubſiſtunt & hærent otioſi: non eos, qui ſedent, quia non poſſunt proficere. * O quam erravi!

Punctum 3tium. Novi, quòd non datur ultimus gradus perfectionis Chriſtianæ, in quo ſecuriùs hærere poſsit ſalutem quærens anima. * Continua

tinua est scala à terra ad cælum extensa, in qua tota vitâ altiùs ascendendum est, donec ad Deum consequendum perveniatur, qui summitati scalæ innixus est, non medio, aut principio.* Ergo recedam à terra, incipiam ascendere de virtute in virtutem, tamdiu, donec cælum attingam: non hærebo, non stabo otiosus. * Absit à me ista superbia, ut dicerem jam sum perfectus, sufficit ad salutem: hic subsistam in hoc gradu. * Semper addam quod melius est: semper progrediar, non remanebo in via * Periit qui dicit, sufficit.* Lucror in ludo nummum, appeto alterum: auctus sum uno honore, sublimiorem opto: & quis prohibet ut sancta nō ferar aviditate in divitias cælestes, quæ nec dari ab homine possunt nec auferri? * Non sum sanctior Joanne Baptista, quô nemo major inter natos mulierum surrexit, qui tamen

indignum se fatetur corrigiam calceamentorum Domini solvere: non sum Paulô perfectior *qui se minimũ Apostolorum & non dignum nominari Apostolũ* 1. *Cor.* 15. *v.* 9. scribit. * Quantò plures perfectiones habuerim tantò frequentius utar verbis Psalmistæ: *Nunc cæpi Ps.* 76. *v.* 11 * Non considerabo quantum fecerim; quam cogitationem inimicus animarum suggerit; sed attendam, quid superest faciendum? * Impelle Domine auxiliô tuo ut nunquam hæream, semper proficiam.

Noto imo. Licetsi ad quinq; duntaxat dies editæ sint in præsenti libello Meditationum praxes, quodsi tamen plures huic sacræ occupationi dies cuipiam placuerit donare: eædem Pra-

xes, quas triplices in ſingulis materiis hoc opuſculo videre licet, devotionem ſupplere poterunt. Et ſic ad quindecem, vel ad decem, vel ad octo dies ampliari poſsunt, ſi quis eundem modum hìc porrectum in Recollectionibus ſequendum elegerit.

Noto 2do. Quamvis in isto instructorio opere in certis tantùm materiis Praxes meditandi expoſitæ ſunt: utpote, quæ ſunt omni conditioni humanæ communes: non intenditur tamen ſolitariis illis ſolis alligari, quin eæ pro ratione Perſonarum, ſtatuum, circumſtantiarum variari poſsint. Quinimo aliæ materiæ, cùm id

neceſſitas, oportunitas, uberior in bono progreſsus poſtulaverit, expedientur, & ſolitariis præ: ſcribentur,

Cedat totum

Ad Majorem DEI T.O.M. Gloriam, Solitarijs ad majorem acquirendam ſpiritualem perfectionem.

